J. M. J.

Theologiae Sanctorum Patrum et Doctorum Ecclesiae Assertiones

Authore

Rdo P. D. Sebastiano Patrykowski, Monacho

Ordinis S. P. Benedicti

V. Monasterii S. Crucis in Monte Calvo.

1684.

AD

ILLVST

D

MA

EP

AD CELSISSIMVM
PRINCIPEM,
ILLVSTRISSIMVM & REVERENDISSIMVM
DOMINVM,

D. IOANNEM

DE MAŁACHOWICE
MAŁACHOWSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPVM CRACOVIENSEM
DVCEM SEVERIÆ.

DOMINVM CLEMENTISSIMVM.

D*Iuinitatis arcana quoties publicæ luci reuelantur, toties amplioris Maiestatis ergo velari petunt* CELSISSIME PRÆSUL. *Sic Cœlorum inuolucro occulitur Deus, quò magis à Terrigenis suspiciatur; per-* *inde*

X

inde Sancta illa Sanctorum Solimæis aris locata, quò magnificentiùs colerentur, eò profundiùs ambitibus velaminum suum Augustale Coronari voluerunt. Nec immeritò propositæ Assertiones Theologicæ candido Tuæ Illustrißimæ Fasciæ circumuallantur Orbe, totum enim Diuinum spirant quidquid sunt, adeoq; intra hoc Tuum Per-Augustum velum & Cælum, acsi inter Seraphin & Cherubin volitantes obuelantesq; Alas Serenißimam Maiestatem sperant sibi affuturã. Non potuit Ilias Homeri digniorem reperire Thronum, præterquam in magni Macedonis puluino; neq; hæc Diuinarum Thesium Coronis, præterquam in Tua imò dixero Sarmatûm Corona. Illa nempe est, quà Statum Ecclesiasticum quà Politicum respectem, tot Capita, tot tempora, tot rerum Momenta insigniens, vt Corona Gloriæ, & Diadema Regni in manu & de manu Domini submissum huic Genti credatur. Benè sanè hæc Augustissimæ Triados mysteria tui Gentilitij Orbis peripheriâ circumcingentur, in qua continuâ serie Magnorum Numinum & Nominum plena esse omnia Orbis testis est Europæus. Sub huius amictu Virginis Stolæ, Angeli Theologici patebunt etiamnum conspicui, quæ candorẽ vndequaq; præsefert Angelico æmulum, vt pote ad hanc dotem immarcescibilis candoris fonte lustrali

olim

olim in Atauis Tuis initiata. Ipsa quoq; Incarnati Verbi *Sacramenta pulchrè hâc in munda Syndone conquiescent, in qua non vultu tenus vt Veronicæ bysso effigiatus Christi vultus, verùm vita boni Pastoris in illimi hac Vitta præsentibus vbiq; exprimitur documentis. Quidni? optimè sub hac Illustrissima Cortina Coronaq; Theologicæ Fidei Dogmata subsidebunt, vnde pro Orthodoxæ Fidei augmine & firmamento ac si ex obuelato nubibus Vertice Sinai, Deus ipse per Te Illustrissime Nalencides quoquò Lechicum Polum respexero, plantato ad id idoneo Ministro, visitur laborare. Ac demùm non malè Sancto Crucensis Benedictinus hanc Celsissimam Fasciam velamentũ & Coronam Diuinis, quia pro Deo assertionibus præsumit, vbi etiã ipsa Cruce insignita vi simpathicâ ad se pellicit Cruci pronos. Nullus in dicto Gordius Nodus, vbi in Nodo illustrissimæ Fasciæ Tuæ* Crux *semen explicat, & victrices pro Deo acturis sub hoc Signo portendit spes. Diuinorum olim operum Crux fuit appendix & Coronis, huius operis Tua Cruce radians Fascia esto Palladium & Corona. Habet vim attractiuam Crux inditam, ab exaltato à terra, vnde, vbi à nostra Salutifera Te trahi experimur, cuius honori & decori religiosiùs patrocinaris,*

nos à Tua in compage Gentilitiæ Cidaris præfulgida identidem trahimur & obligamur ad perpetuò Grates litandum.

id præfatus nomine.

Minimæ Congregationis Benedictinæ Monasterij S. Crucis in Caluo Monte Pr. SEBASTIANUS POTRYKOWSKI eiusdem Monasterij Professus.

THEOLOGICÆ SS. PATRVM
ET
DOCTORVM ECCLESIÆ, ASSERTIONES.

DE DEO VNO.

1ma. De Principijs Theologiæ.

Punctum 1mum. Primarium principium diuinæ scientiæ huius est Fides. Nam *vbi de Deo agitur, nulla re Diuinitas meliùs, quàm suis testibus approbatur.* Cass: lib: 2. de Incar. cap: 3. Et certè: *decet, vt rationem præueniat fides, ne tanquam ab homine, ita à Domino rationem videamur exigere: Etenim quàm indignum, vt hominis testimonijs de alio credamus; Dei oraculis de se non credamus?* S. Ambros: lib: de Abraham. cap: 3. *Nemo verò magisterium enarrandæ Scripturæ sibi arrogare debet: cuius vis & potestas penes Ecclesiam est.* Vtpote cuius est iudicare de vero sensu, *& interpretatione scripturarum sanctarum.* Trid: sess: 4. *Quare Hæretici postquàm iniquitatem in corde suo pro Canone statuerunt, ad eum omnia Diuina corrumpunt oracula.* Athanas: orat: 2. p. 176. 2dum. Alterum principium Theologiæ, sunt Concilia & Patres. *Et illorum quidem grauitate Hæ-*

retici circumlatrantes Ecclesiam damnantur. Cypr: lib: de Vtil: cred: c. 17. tomo 6. Nam *Spiritus S. ipsis veritatem inspirauit. Non* enim *erant ipsi, qui loquebantur, sed Spiritus Dei Patris, qui loquebatur in ipsis.* Cyrill: ad Mon: Ægypt. Matth: 10. *Post Apostolos verò & Prophetas, doctores posuit in Ecclesia Deus, secundùm prouidentiam Spiritus S. incomprehensam, in opus ministerij ad ædificationē Corporis Christi. Quare qui Patres illos non recipit, qui in Ecclesia clari, & celebres sunt, plane ordinationi & constitutioni Dei resistit.* Leontius Byzant. tom: 4. Bibl: PP. col: 971. Hæc *non ideò commemoraui, quod disputatorum quorumlibet Sententijs tanquā canonica authoritate nitamur, sed vt appareat ab initio vsq; ad præsens tempus, quo Hæreticorum nouitas orta est.* Aug: lib: 3. de pec: cap: 7. Meritò igitur Hæreticis dici potest illud. *Iuuenes estis omnes. Nam nullam habetis ex antiqua authoritate veterem opinionem, neq; doctrinam, quæ temporis diuturnitate canitiem contraxerit.* Plat: in Tim. 3tium. Neque reiicit sacra sciētia Philosophicas ac naturales veritates. *Omnis enim artifex aliquibus instrumentis opus habet, ad operum suorum effectionem. Porrò decet reginam ancillarum quarundam vti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas, tanquam veritatis famulas: & impietatem, quæ tyrannico dominatu eas sibi vsurpauerat, procul amandemus, neq; bono malè vtamur.* Ioan: Damascen: dialog: c. 1. *Non debet tamen Philosophia ius magisterij sibimet arroganter arripere, ne si præcedit, oberret, & dum exteriorum Verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen, & rectum veritatis tramitem perdat.* Petr: Damian: opus 36. cap: 5.

2da. De Scientifico discursu Theologiæ.

Punctum 1mum. *Est demonstratio firma & stabilis eorum, quæ per fidem accepimus, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificantur, & adhoc deducit, quod immutabile est, & cum scientia comprehendi potest.* Clem: Alex: strom: 7. pag: 526. Sed *nonnisi sepimentum est ratiocinatio, vt ne ab Sophistis veritas proculcetur.* Clem: Alex: 1. Strom: pag. 207. *Ars enim ratiocinandi in rebus obscuris ingreditur; vt videatur esse verum, quod verum est.* Arnob: apud Iren p. 521. *Et rationi non obest sermo rationis, & semper veritas ventilata plus rutilat.* Cass: lib: 1. de Incar: cap: 6. 2dum. *Unde qui syllogismos & argumentationes excludit à Theologia, primum id, quod humanæ naturæ proprium est tollet è medio; tum beatum Paulum redarguet reprehendentem eos, qui ex aspectabilibus rebus de Deo ratiocinari minimè potuerunt.* Rom: 1. Sap: 13. *tum ipsius Saluatoris sententiam labefactabit: quæ scrutari scripturas iubet* Ioan: 5. *Perspicuum est enim, eum, qui scripturas perscrutatur nonnisi argumentando legere. Tum sibi ipsi contrarius erit. Nam quæ contra argumentationem dicit, ea nonnisi argumentando loquitur.* Calecas: Tom: 2. lib: 7. c. 1. *Imò philosophandum est, vel si minimè philosophandum est. Non enim improbari ac damnari aliquid potest, nisi prius cognitum sit.* Clem: Alex: 6. Strom: pag: 501.

3tia. De Existentia Dei.

Punctum 1mum. Deum esse potest certò & euidenter demōstrari. *Quamvis diuinitas non demonstratione rationum traditur, sed fide, & pia cogitatione cum religione.* Athan: ad Serap: pag: 360. Nihilominus *inuisibilia ipsius à Creatura mundi, per ea, quæ creata sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita, vt sint inexcusabiles,* Rom: 1. *Habet Deus testimonia, totum hoc, quod sumus, & in quo sumus.* Tertull: lib: contra Marc: cap: 10. *Quod enim Deus sit ac princeps quædam Causa, quæ res omnes procreârit, atque conseruet, tum oculi ipsi; tum lex naturalis docet: Illi dum in res aspectabiles intendunt, easque & pulchrè fixas & stabiles esse, & progredi, atque immote, vt ita dicam moueri, voluique perspiciunt: Hæc autem dum per res oculis subiectas ac recto ordine collocatas auctorem eorum colligit & assequitur.* Greg: Naz. orat: 34. 2dum. Imò communis & innatus est sensus hominibus, vt intelligant esse quoddam Diuinum Numen. *Animæ enim à primordio, conscientia Dei, dos est, eadem, nec*

alia & in Ægyptiis, & in Syriis, & in Ponticis. Tertull: lib: contra Marc. cap. 10. *Quod verò natura vniuersaliter & naturaliter confitetur, necesse est verum esse. Naturam enim naturaliter & vniuersaliter mentiri impossibile est.* Guil: Paris lib: de Virt, cap: 2. 3tium. Neque temerè aut casu vniuersitas totius ac elegantia & proportio emersit. *Natura enim, quam veluti Matrem rerum esse putant, si mentem non habet, nihil efficiet vnquam. Vbi enim non est cogitatio, nec motus est vllus, nec efficacia. Si autẽ consilio suo vtitur ad incipiendũ aliquid, ratione ad disponendũ, arte ad efficiendũ, virtute ad cõsumãdũ, potestate ad regendũ, & construendũ, cur natura potiùs, quàm Deus nominetur?* Lactantius lib: de ira Dei, cap: 10. *Cùm igitur ortum rerum tribuis naturæ, & detrahis Deo ab eodem plane fieri mundum, mutato nomine confiteris, à quo fieri negas.* Idem lib: 2. cap: 8. 4tum. Ipsa quoque rerum mutabilitas, immutabilem existere Deum conuincit. *Omnia quæcunque sunt vel creata sunt vel increata. Quod si creata sunt, omnino sunt mutabilia. Quorum enim esse à mutatione cæpit, hæc mutationi planè subiecta erunt, siue corrumpantur, siue voluntate mutentur. Sin increata sunt, ex consequentiæ ratione prorsus immutabilia sunt. Nam quorum esse contrarium est, ijs certo modo esse contraria ratione conuenit. Itaque cum sint mutabilia, planè erunt creata. Si creata sunt, prorsus ab aliquo condita sunt. Oportet autem conditorem increatum esse. Nam si etiã ille creatus est, omnino ab aliquo creatus est: donec ad increatum aliquid procedendo perueniatur. Increatus igitur conditor planè est, & immutabilis. Hoc verò quid aliud potest esse, quàm Deus.* Ioan: Damasc: lib: 1. 4tum. Ipsa etiam rerum generatio suffragatur existentiæ Dei. *Quilibet homo bene potest videre in se, quod ipse est, quod habet esse, & quod non semper fuit. Et ex hoc bene scit, quod initiũ aliquando habuit. Tunc sequitur, quod aliud tempus erat, in quo ipse non fuit. Sed quando non fuit, tunc nullo modo seipsum facere potuit. Hoc enim vides homo in omni creatura. Ideo oportet necessario, quòd vna res sit, quæ dat omnibus esse; hoc est, à qua omnia sunt. Et ex hoc conuincitur necessariò, quod ille, per quem omnia sunt, est, sine principio. Quia si haberet principium, oportet, quod haberet ex alio. Tunc non esset primus auctor, & principium omnium. Et ideo oportet necessariò, quod ipse, per quem omnia facta sunt, sit ante omnia, & nihil ante ipsum, & si nihil sit ante ipsum, non venit ex alio, tunc semper fuit, & sine principio. Nam vt priùs, omne, quod habet initium, ex alio habet illud (nihil enim quod non est, sibi ipsi potest dare esse) & ideo oportet omnibus modis, quod vna res sit, quæ nunquam principium habuit.* S. Edmundus Cantuar: Epis: in Speculo Ecclesiæ, cap: 27. Vnde insipientis & anima rationali destituti deliramentum est. *Non est Deus.* Psal: 13. *Non est fundamentum, & quomodo stat ædificium? non est ædificator, & quomodo domus facta est? non est architectus, & quis vrbem condidit? non est musicus, & quomodo in mundi lyra apparet concentus? non est auriga, & quomodo elemento-*

rum

rum quatuor currus agatur? non est statuarius, & quomodo homines veluti quædam statuæ in mundo facti sunt? non est aurifex, & quis veluti discum aureum, in mensa, solem in cælo posuit? non est, qui ferat lampadem, & quis tibi velut lampadem argenteam dedit Lunam in nocte? non est, qui faciat solus magna lumina, & quis accensos astrorũ lichnos tibi posuit, si non est Deus? Quid facis in iis, quæ Dei sunt? in domo Dei manes, & domum Dei inficiaris. Chrysost: in Psalm: 13. Deum igitur existere per se notum est quò ad se, quò ad nos autem demonstrabile, tum à posteriori seu ab effectis, *ex magnitudine speciei & creaturæ.* Sap: 9. tum ex innato omnibus hominibus instinctu, & conscientia, quasi quadam communi animæ rationalis dote? Tum ex ipsa rerum mutabilitate & generatione &c. ita, vt sint inexcusabiles Athei. *Si enim tantùm potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum, quomodo non huius Dominum facilius inuenerunt.* Sap: 13.

4ta. De Essentia Dei.

Existentia Dei est de metaphysico conceptu essentiæ Dei. *Nullus intelligens id quod Deus est, potest etiam cogitare, quia Deus non existit. Deus enim est id, quo maius cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, vtiq; intelligit ipsum sic esse, vt nec cogitatione queat non esse.* Anselmus in Prosologio cap: 4. Est igitur existentia de conceptu metaphysico essentiæ Dei. Vnde Diuus Thom: Quæst; 3. art. 4. *Non est aliud existentia, & aliud essentia Dei. Essentia e-*[illegible] *Dei cùm dicitur, quid aliud significatur nisi Deum semper* [illegible] Ambros: lib: de Incar: cap: 9. *Solùm proinde vere est quod nec à fuit præciditur, nec ab erit expungitur: sed solùm, inexpugnabile remanet ei est, & manet, quod est. Nec fuit, illi sanè tollit esse ab æterno, nec erit esse in æternum.* Bernard. Serm: 31. in Cant. *Vnde cum creaturæ contingens sit existere, Deo semper existere essentia est. Solus enim Deus quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet.* Hier: Epist; 136. *Igitur cætera omnia, quia mutantur,*

veræ essentiæ nomine gaudere non possunt. Quippe omnia, quæ mutātur, desinunt esse, quod erāt, & incipiunt non esse, quod erāt. Esse autem verum, esse sincerum, & germanum non habet, nisi qui non mutatur. August: tom: 6. lib: 5. de Trinit: cap: 2.

5ta, De Distinctione attributorum Diuinorum inter se, & ab Essentia Diuina.

Punctum 1mum. Attributa Diuina non distinguuntur realiter nemine cogitante ab essentia. *Recedant à nobis, recedant nouelli, non Dialectici, sed Hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, & bonitatem, qua bonus, & sapientiam, qua sapiens, & iustitiam, qua iustus, Deum non esse impijssimè disputant.* Bernard: Serm: 8. in Cant. In sensu igitur reali & physico, & ex natura rei, *nihil est natura Dei præter ipsum, eo quod simplex est & compositione caret?* Cyril: Alexand: lib: 1 Thes. *Unus est altissimus creator, omnipotens, fortis, iustus, & misericors, & æternus, magnus, & non habet finem, excelsus & immensus;* Eccl: 2. Mach: 1. Baruch 3. 2dum. Distinguuntur igitur attributa, cùm à se mutuo, tum ab essentia per rationem. *Nullum est nomen, quod Dei naturam comprehendat, & quantum satis est explicet. Quare multa sunt ac diuersa, quæ singula propriam habent significationem.* Basil: lib: 2. *Ne videlicet si vno substantiæ nomine, omnia attributa diuina vocentur, Deus ex tot substantijs compositus sit, quotquot erunt, quæ naturaliter sibi adesse videntur.* Cyril: Alex: lib: 3. Thes. *Proinde amplitudinem Dei & potentiam, ac sapientiam, tum bonitatem, & prouidentiam, qua nos procurat, & iustitiam iudicij eius dicimur cognoscere, non autem ipsam substantiam,* Basil: Decad: 3. lib: 4. *Qui enim ridiculum non est, si quis procreandi vim, ipsam dicat essentiam? aut prouidentiam rursus essentiam? itidemq; præscientiam? ac deniq; efficientiam omnem, essentiam esse statuat?* Idem lib: 2. Quare nemo sanæ mentis negauerit esse innumeras notiones, quas *circa diuinam vitam contemplamur: quarum vnaquæq; per se secundùm propriam, ac peculiarem intelligentiam significantibus nominibus enuntiatur.* S. Greg: Nyss: lib: 12.

contra

contra Eunom: pag: 410. & seqq. 3tium. Maius vero discrimen est inter essentiam & proprietates relatiuas: Item inter intellectionem & volitionem Diuinam, de quibus independenter ab intellectu verificantur contradictoria: quam inter attributa absoluta & essentiam: Vnde distinctionem virtualem inter essentiam & proprietates relatiuas statuimus: *Non eo Verbum, quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur; sed tantùm relatiuè ad eum, cuius Verbum est: sicut Filius ad Patrem; Sapientia verò eo, quo essentia.* Aug: lib: 8. de Trinit: cap: 2. Vnde *Pater, non quia Pater est facit miracula, sed quia naturâ* DEVS *est.* Item: *Filius non quia Filius est, sed vt* DEVS *est ex* DEO, *potest & ipse Patris opera facere.* Cyril: in fragm: lib: 7. & 8. in Ioan. Præterea, *Pater eatenus non est Deus, quà differentiam à Filio seruat, alioqui Filius non esset Deus. Nam si ideo quia Pater est Pater, idem Pater est Deus, cùm Filius non sit Pater, non erit Deus Filius.* Gregor: Nyss: Lib: de Comm. Notion. tom: 1. p. 915. 4tum. Meritò quocirca ob maius hoc discrimen virtualem distinctionem, maiorem rationis distinctione admittimus. *Manifestum siquidem est ex dictis in Patre ac Filio nomina ipsa non significare substantiam, sed proprietates exprimere?* Basil: lib: 1. contra Eunom. p. 41. Neque obest ea etiam posse ratione secerni, quæ virtualiter sunt discreta. *Aliud enim est re considerare aliquid, aliud ratione & intelligentia.* Damasc: lib: 1. de Fide, cap: 11. *Tam clementer verò Deus humanæ consuluit infirmitati, vt quia eum, sicuti est, non possumus cognoscere, nostræ locutionis more, seipsum insinuare velit: quatenus ad sua per nostra nos traheret: & dum condescendit per pietatem nostræ infirmitati, ascendamus nos per intelligentiæ paritatem ad illum, secundùm suæ donum gratiæ.* Alcuinus lib: 2. de Trin. cap: 6. Benè igitur Basil: lib: 2. pag: 70 proprietates personarum cum substantia ipsa comparans, vocat *formas ac characteres, & notas, quæ in substantia ipsa considerantur. Hæc est verò natura proprietatum* (ait ibidem) *in identitate substantiæ distinctionem ostendere:* cùm ergo non ostendat distinctionem physicam simpliciter, aut ex natura rei, quæ nihilo differunt, nec solam rationis, sequitur, quod ostendat virtualem intrinsecam.

6ta. De Essentiæ Dei metaphysico conceptu.

Punctum 1mum. Prædicatum specificè constitutiuum essentiæ Dei est intellectiuum à se. *In Deo non est aliud esse, aliud intelligere. Anima verò, quia est, etiam dum non intelligit, aliud est, quod est, aliud quod intelligit.* Aug: Ep: 102. Hinc cùm *Deus mens sit, intellectu naturali & substantiali nouit ea, quæ nouit. Creaturæ verò licet habeant, vt sint, mens, attamen & scientiam habent, quæ est factura, dum mens earum sit facta.* Didymus in enarrat epist: canon. Ioan: cap: 3. Aseitas verò cùm nullam habeat suæ limitationis Causam, quæ solet esse in Creatis causa producens, aut determinans, est in omni genere illimitata perfectio, ratixque positiua omnium cæterarum perfectionum. *Magnus est, & non habet finem.* Baruch 7. *Magnitudinis eius non est finis.* Psalm: 14. 2dum. Neque à ratione Intellectiui ratio Aseitatis separatur pro constitutiuo adæquate conflando. Cùm *Dei ratio ipsum est esse.* Athan: orat: contra Gentes. Imò *principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur, nominibus est; quod à se est, totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantiæ infinitum.* Damasc: lib: 1. Otrh: fid: cap: 12. Vnde ceu ex immenso pelago fluit essendi necessitas, ex hac æternitas, immensitas: simplicitas, purissimus actus, & cæteræ perfectiones simpliciter simplices: de quibus sit.

7ma. De Dei simplicitate.

Punctum 1mum. *Deus naturæ simplicis est non cõiunctæ atq; compositæ, cui nihil accedat, sed solum quod diuinum est in natura habet sua.* Ambr: lib: 1. de fide c. 7. *Simplex est natura Diuina, & cõpositione carens omni.* Cyril: Alex: lib: 5. in Ioan. p. 549. Quare *turpiter vana cogitatio est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis definiri, atque circumscribi.* Aug: lib: 12. de Trin. c. 7. Nam *inuisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur, sed in eo vtiq; quod non videtur.* Ambr: in Psalm: 118. *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens, vti ne*

maius

maius aliquid & inferius esse credatur, sed ut sit ex omni parte monas, & ut ita dicam totus mens, ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est. Origen: lib: 1. Perier: c. 1. Sed cur Sacra scriptura membra Deo tribuit? ℞. cum Iustino Martyre: *Efficacias Diuinas per membra monstrat. Nam cùm oculi describuntur; quod omnia videat, exprimitur: Et quando auris, quòd omnia audiat, proponitur: & cùm digitus, significantia quadam voluntatis aperitur: & cùm nares, precum, quasi odorum perceptio ostenditur: Et cùm manus, quòd creaturæ omnis sit author, probatur, & quando brachia, quòd nulla natura robori ipsius repugnare poßit, edicitur. Et quando pedes, quòd impleat omnia, nec sit quidquam, ubi non sit Deus, explicatur. Neq; enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cuius solum etiam tacitum arbitrium, & seruiunt, & adsunt omnia.* Iustinus Martyr q. 2. Et certè Deo tribuendum est, quod est excellentissimum. *Ut quidquid religiosius sentiri potest, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas conuenire.* Ambr: lib: 1. de fide, cap: 7. Id autem est simplicem esse, & compositionis expertem. *Quid est Deus?* (ait Bern: lib: 1. de consideratione, cap: 7.) *Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, non oportet assentiaris aliquid, quò Deus sit, & quod Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo, si Deus non est, quod dat Deo ut sit?* Siquidem iuxta Aristotelem lib: 1. Quæst. cap: 2. *Propter quod, siue quò, alia quæpiam res esse aliquid dicitur, magis istud ipsum est tale.* 2dum. Repugnat omnis compositio Diuinæ æternitati. *Qui compositus esse non potest, cùm aliqua eo anteriora præextitisse putare nefas sit.*

Ambr: tract: in symb. cap: 1. Caret partibus eò, *quod nihil ipso est anterius. Etenim pars, & id ex quo aliquid constat, prius est eo, cuius est pars.* Alcinous cap: 10. Quod de partibus naturâ anterioribus toto, & de causa efficiente verum est. *Nam qui neminem habet, qui se fecit, & composuit, neq; factus est, neq; compositus.* Iustinus Martyr lib: Quæst. & respons: ad Orthodox. Q. 129. *Cùm ergo nihil ante principium cogitari queat, nulla ex parte continget illi, vt sit compositũ. quandoquidem composita quidam simplicium concursus efficit,* Cyril: Alex: lib: Thes: 13. p. 134. *Quare omne, quod compositum est, creatum est.* Demetr: Cydon. *Cùm nihil præter Creatorem & creaturam existat, si Deus per seipsum non habet esse, necessariò requiritur, vt per creaturam existat, quod inconuenientißimum est.* Tom: 9. Oper: Aug. de cognitione veræ vitæ, cap: 7. Ad hæc summa Dei sufficientia sibi per sese repugnat omni compositioni. *Quod non est primum indiget eo, quod ante se est. Et quod non est simplex, indiget ijs simplicibus, quæ in ipso sunt, vt ex illis constet.* Plot: lib: 4. cap: 1. *Porrò ex eo, quod sibi ipsi sufficiens est, summam Dei vnitatẽ animo capere possumus. Oportet enim summum rerum Principium nullo modo indigum esse, sed sufficientißimum omnium, seq; ipso maximè contẽtum.* Et post. *Si quid igitur sufficientißimum oportet esse, idem oportet vnum esse, quod solum est eiusmodi, vt neq; ad seipsum, neq; ad aliud indigens sit.* Idem lib: 9. cap: 6. p. 764.

8ua. De vnitate Dei.

Vnus est Devs, quoniam vna Diuinitas est, initio carens, simplex, & supersubstantialis, partium expers & indiuidua. Eadem vnitas & Trinitas. Tota vnitas ipsa, & tota ipsa Trinitas. Vnitas tota secundùm substantiam ipsa; & Trinitas tota secundùm hypostasim ipsa: Maximus apud Eu-

pud Euthymium Panop: part: 1. Tit: 2. p. 48. Vnde *indiuisa est in diuisis Diuinitas*. Damasc. Monas, *atq; vnitas propter simplicitatem ac singularitatem excellentis indiuisibilitatis: Trinitas ob expressionem supersubstantialis fœcunditatis, quæ in tribus Personis consistit*. Dion: cap: 1. de Diuinis nominibus. Est igitur Vnitas essentiæ perfectissima. *Ut enim Unitas non potest diuidi in vnitates duas: Quæ enim in ista diuiditur, non potest esse vnitas: sed binarius: sic vnum perfecta vnione non potest in duo separari*. Proclus Epist. ad Armenos. Eleganter & breuiter Dionysius de cœlesti Hierarchia. *Monas est, & vnitas Trisubsistens*.

9na. De Immutabilitate Dei.

Punctum 1mum: Immutabilis est Deus tàm secundùm locum quàm secundùm formam: siue ea in substantia, siue in quantitate, siue in qualitate contingat. *Quia apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Iacob: 1: *Est enim Pater luminum. Ipsa enim mutabilitas vmbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret: sicuti soli vel interposita nube, vel subiecta luna plerumque accidere putatur*. Greg: lib: 12. Moral. cap. 17. *Igitur idem ipse est, & anni eius non deficient*. Psalm: 101. *Ego Dominus, & non mutor*. Malach: 3. 2dum. Porro immutabilis est & secundùm contradicentia, & secundùm contraria ob perfectionem infinitam simplicitatis. Nam *compositio initium pugnæ est, pugna autem dissidij, dissidium solutionis, solutio porrò nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum dissidiū admittendum est, ne solutio consequatur, nec pugna, ne dissidium oriatur, nec compositio, ne pugna existat*. Greg: Naz: orat: 34. p. 540. Vnde *omne colligatum solui potest*. Plato in Tim. Deus ergo cùm sit simplicissimus nec à se, nec ab alio corrumpi potest. Non ab alio. *Omne enim quod mutatur, eo quod mutat est imbellius, quoniam hoc agit, illud patitur. Atqui diuinum omne potentissimum est. Ergo mutari non potest*. Proclus in Commentarijs pag: 328. Nec à seipso mutari potest. *Quidquid enim à seipso mutatur, vel in melius vel in deterius mutatur. Porro in deterius nihil se vnquam sponte sua mutauerit. Nam omne, quod tale aliquid patitur, ex boni inscitia illud pati videtur. At in melius, si quid mutatur, id ante mutationem proprij boni indigens, eiusmodi mutationem eligit. Quare ex ambobus illis, aut minimè voluntariam actionem in Deum conferemus, aut bonorum indigentiam. Verùm & cognitio penes Deum est præstantissima & vita sufficiens. Igitur neque bono eget vllo, neque præter voluntatem aliquid patitur*. Idem.

Præterea *contrariorũ omnis eſt actio inter ſe & paſſio.* Ariſt: lib: de Gen: cap: 7. Ac verò Deo nihil eſt contrarium. Nam *ei naturæ, quæ ſummè eſt, qua faciente ſunt, quæcunque ſunt, contraria natura non eſt, niſi quæ non eſt.* Aug: lib: 12. de Ciuit. c. 17. *Et quomodo ſummum Ens neceſſariò exiſtens mutetur? omnino impoſſibile eſt omne neceſſarium non eſſe. neceſſariaque ratione carere.* Richard: lib: 1. de Trin: cap: 4. 3tium. Aſeitas quoque omnem excludit mutabilitatem. *Quod enim natum non eſt, nec mutari poteſt, Ea enim ſola in conuerſionem veniunt, quæcunque fiunt, vel quæcunque gignuntur, dum quæ aliquando non fuerant, diſcunt eſſe naſcendo, atque ideò naſcendo conuerti.* Nouatianus lib: de Trinit: cap: 14. *Quicquid factum non eſt, & tamen eſt, non eſt in eo quidquam, quod ante non erat, quod eſt mutari atq; variari.* Aug: lib: 11. Conf. c. 4. *Dicimus itaque nullum immutabile bonum eſſe, niſi vnum verum Deum Beatum: ea verò, quæ fecit, bona quidem eſſe, quod ab illo, verùmtamen mutabilia, quod non de illo, ſed de nihilo facta ſunt.* Aug: lib: de Ciu: Dei, cap: 1. *Solus Deus eſt, qui factus non eſt, & ideò deſtruere alia poteſt, ipſe deſtrui non poteſt. Permanebit ſemper in eo, quod fuit, qui non eſt aliunde generatus, nec ortus, nec natiuitas eius ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata diſſoluat.* Lactan: lib: 2. c. 8. *Nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum, nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideò quippe naturæ à Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt, ideò deficere, quia ex nihilo factæ ſunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum verò prouehit operatio creationis.* Fulg: lib: de Fide, cap: 3.

10ma. De Æternitate Dei.

A ſæculo & vſq; in ſæculum tu es Deus. Optimè autem, non ait à ſæculo tu fuiſti, & vſq; in ſæculum tu eris, inſinuans Dei ſubſtantiam omni modo immutabilem; vbi non eſt, fuit, & erit, ſed tantummodo eſt. Aug: Tract: in Pſal: 89. *Nihil tàm proprium Dei, quàm ſemper eſſe.* Ambr: tom: 2. in Pſalm 43. col: 86. Vnde *quis nouus Deus niſi falſus.* Tert. lib: 1. contra Marc. cap: 8. *Nam, quod ſemper non eſt, Diuinum exiſtimari non poteſt.* Gregor: Nyſſ. in Prol. lib: Cath. *Hinc Pater non habet Patrem, de quo ſit, Filius autem de Patre eſt vt ſit, atq; vt illi coæternus ſit.* Aug. cap: 26. *Si enim aliquando non fuit Deus, à ſeipſo initium non habuit.* Hug. Vict.

Vict. lib: 7. Cred: Theol. cap: 17. *Igitur ab alio originem cepit, idq; in infinitum vsq; procedit, nisi in aliquo sistat nostra cogitatio, quod ex omni æternitate sic fuerit, vt à nullo initium acceperit. Hoc autem Deus est. Præterea si Deus ex æterno non fuit, vel aliud quidquam ante hunc extitit, vel nihil. Si aliquid aliud fuit, hoc erit Deo melius ac præstantius, quod cum Dei communi notione pugnat. Si nihil omnino fuit, ne futurum quidem tunc aliquid fuit. Quia qui sibi vel alijs existendi initium daret, vel potuisset dare, tunc omnino non fuit. Quod falsum est euidenter.* Richard. lib: 1. de Trin. c. 8. *Magnum æternitatis Diuinæ argumentum est. Quod à se viuit ex æterno, & in æternum viuit. Nunquam enim se deserit, quod sibi causa est, vt hoc ipsum sit quod existit. Igitur quoniam à se est Deus, nunquam non esse potuit.* Marius Victorinus lib; 4. contra Arium. *Quod enim à semetipso est, non esse non potest, quia nulla res à semetipsa diuidi & separari potest. Et qui aliunde esse non accepit, sequitur necessariò, vt semper sit. Quia aliunde auferri non potest, quod aliunde datum non est.* Hugo supra citatus.

IIma. De Immensitate Dei secundùm locum.

Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus. Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus. Ierem: 23. *Non sola efficientia, neq; sola cognitione inspectionis vniuersa Deus occupat, sed substantiâ est in omnibus.* Anast. lib. 2. de Incircumscript. Rursus in Psalm: 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Act. 17. *Quomodo aër implet omnia, & nullus est locus eo vacuus, ita etiam Vniuersorum Deus implet omnia, & nullus est locus eo vacuus.* Anastas: Sinaita in 2. con-

templ. Anagog: in Hexaemeron. *Scitote igitur vnum esse Deum, qui minimè spectabilis aspicit omnia, non comprehensus, omnia comprehendit, & cum nullius egeat; eo indigent omnia, ac per eum existunt.* Clem: Alex: in 6. Strom. *Neq; modo vbiq; est, sed & totus vbiq; est.* Hilar. lib: 1. ad Constantium. *Ab eo enim quod est pendent omnia, neq; fieri potest, vt sit aliquid, quod in eo, quod est, esse non habeat.* Gregor: Nyss. in lib: Cathechet. *Igitur omnia replet, præsens adest omnibus, non per partes, sed simul omnibus totus.* Chrysost: in Psalm: 138.

12ma. De Scientia Dei.

Punctum 1mum. *Deus scientiarum Dominus.* 1. Reg. 2. *Cognouit omnia nouissima & antiqua.* Psalm: 138. *Nam in illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Coloss: 2. *Siquidem non habet informem vitam Verbum Filius: cui non solùm hoc est esse, quod viuere, sed etiam hoc est ei viuere, quod est sapienter & beatè viuere.* Aug: c. 1. de Genesi. Porro *Scientia Dei omnem temporis supergressa notionem, infinitaque præteriti & futuri spatia complectens, omnia quasi iam gerantur, in sua simplici cognitione considerat.* Boetius Prosâ 1. *Omnia simul exhaurit intellectu, priusque vniuersa cognoscit, antequam existant. Non enim possumus dicere eum ignorata fecisse, & ea nonnisi facta didicisse: nescisse quid faceret, sed scisse, quod fecit. Nouerat ergo facienda, non facta nouerat, vt faceret, non quia fecerat* August: lib: ad Orof. cap: 8. 2dum. Non datur tamen in Deo actus primus intelligendi realiter distinctus: *In Deo non aliud est esse, aliud intelligere* alietate distinctionis realis August: Ep: 102. *Anima verò quia est, etiam dum non intelligit, aliud est, quod est, aliud, quod intelligit.* Aug: cit. *Quamobrem absurdum est, ipsum de se talem habere cognitionem dicere, qualem nos habemus. Nam si ipse aliud quiddam est, alia verò ac diuersa est ab eo, quæ inest ipsi cognitio, compositus erit, & non simplex.* Cyril: in fine lib. 3 Thesaurorum. Ex quibus patet non dari in Deo actum primum intelligendi realem. *Deus enim siue substantiam dicamus, non habet potestatem intelligendi, quæ naturaliter cum eo intelligatur; ne habeatur compositus. Siue dicamus cognitionem, non habet subiectam substantiam, quæ naturaliter recipiat cognitionem. Sed id ipsum, quod secundùm substantiam est, cognitio est Deus & totus Deus, & ipsa cognitio substantia, & tota substantia,* scilicet in sensu identico & reali physico. Maxim: Cent: 1. cap: 82. *Quare Deo sola ad cognoscendum natura satis est.* Synes. lib: de Insom. *Trinitatis enim scientia substantialis est, creaturarum verò affectus quidam suscipiens magis & minus.* Did: in enarrat: Epist: Can: Ioan. cap: 3. *In nobis prudentia & sapientia & consilium, tanquam habitus accidit, & abscedit. Non autem in Deo. In ipso enim nihil oritur & desinit.* Damas. lib: 1.

de fide

de fide, cap: 18. 3tium. Cùm verò actus primus intelligendi virtualis non inferat realem compositionem, simplicitati Diuinæ repugnantem; rectè admittitur respectu scientiæ liberæ. *Deus enim neque intelligens dicitur propriè, neque intellectus, ne compositus existimetur.* Maxim: part: 1. Tit: 3. pag: 8. *Nullum est nomen, quod Dei naturam satis explicet, quare multa sunt ac diuersa, quæ singula propriam habent significationem.* Basil. lib: 2. Cùm verò non habent in sensu reali physico distinctam seu propriam significationem v.g. intellectus & intellectio, Ergo in sensu virtuali habent distinctam propriam significationem. *Quare amplitudinem Dei, & sapientiam, qua nos procurat, & iustitiam iudicij eius dicimur agnoscere, non autem ipsam substantiam. Porrò distinctioni agnitionis præsupponitur distinctio virtualis.* Basil. Decad: 3. cap: 4. *Qui enim ridiculum non est, si quis procreandi vim, ipsam dicat esse essentiam, aut prouidentiam rursus essentiam? itidemque præscientiam? ac denique efficientiam omnem essentiam esse statuat?* Idem lib: 2. *Quare nemo sanæ mentis negauerit esse innumeras notiones, quas circa Diuinam vitam contemplamur, quarum vnaquæque per sese, secundùm propriam ac peculiarem intelligentiam significantibus nominibus enuntiatur.* S. Greg: Nissen. lib: 12. contra Eunom. pag: 410. & seqq. Vnde *vniuscuiusque nominis quod de Deo dicitur, propria ac singularis est notio: atque pro appellationum numero cognatæ Deo dignitates considerantur.* Idem. 4tum. Rectè etiam admittitur actus primus intelligendi ratione nostra. Quod ex alibi dictis satis liquet: quibus accedit sententia Gregorij Nysseni citati. *Quis ita stupidus est, vt ignoret Diuinam quidem naturam, quidquid tandem secundùm essentiam est, & vnam, & vniformem, atque compositionis expertem: humanam verò animam in terreno defossam corpore, quoniam non potest quod quæritur, liquidò perspicere; per multas notiones ad inexplicabilem naturam diuersè, ac multipliciter contendere. Non igitur cùm vnum intelligimus, necessariò intelligimus & aliud.* 5tum. Vnica cognitione Deus omnia, & quidem infinita, tàm possibilia, quàm existentia, tàm positiua, quàm negatiua distinctè cognoscit. Nam *nosse, atque esse illi vnum est.* Aug: lib: 15. de Trin. cap: 14. *Sciunt ergo inuicem Pater & Filius, sed ille gignendo, hic nascendo: non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu, hinc illuc & inde huc, & rursus inde, vt aliqua videre non possit, nisi non videns alia, sed simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.* Idem. *Quare omnia tempora intra suæ prouisionis arcana complectitur, vt nec nouum aliquid sibi penitùs accedat, nec aliquid ab eo per cursûs momenta recedat. Sed nec diuersis obtutibus diuersa considerat, vt cùm intendit præteritis, vacet à præsentibus, vel futuris, sed vno duntaxat, ac simplici præsentissimæ maiestatis intuitu simul omnia comprehendit; neque hoc confusè, sed omnia discernis iuxta proprietatem suam.* Petrus Damian. opus: 16. cap: 7. Ac paulò post. *In supremo rerum vertice ineffabiliter supereminens, quasi quodam profunditatis & æterni*

consi-

consilij sui circulo, non modò cuncta temporum spatia, sed & loca, & vniuersas amplectitur creaturas, & hæc omnia vno contemplationis ictu.

13tia. De scientia simplicis intelligentiæ.

Punctum 1mum. DEVS scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscit omnia possibilia. *Et quomodo creaturas faceret, quæ sibi notæ non erant. Non enim quidquam fecit ignorans. Proinde antequam fierent; & erant, & non erant; Erant in Dei scientia, non erant in sua natura.* Aug. lib: 5. de Genesi, cap: 15. *Nouerat ergo Deus omnia, quæ fecit, antequam faceret. Non enim possumus eum dicere ignorata fecisse, & ea nonnisi facta didicisse, nescîsse, quid faceret, sed scisse, quod fecit. Hoc enim si de aliquo homine artifice diceremus, insipientissimè saperemus.* Aug lib: ad Orust, cap: 8. Inde sequitur res non còéxtitisse ab æterno præsentes DEO, sed notitiæ illius fuisse obiectas, 2dum. Præscientia Dei non tollit liberum arbitrium. *Neq enim ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit, quia si nolet non peccat: sed si peccare voluerit, etiam hoc ille præsciuit.* Aug. lib: 1. de Gratia Christi, cap: 10. *Sicut nos cùm liberè aliquid facimus id necessariò intelligimus, etsi necessariò non faciamus. Non enim præscientia Diuina rerum, quæ in nostra potestate liberæ sunt, causa est, sed ista potiùs illis causa: quod non aliter ea futura videt, quàm quia voluntatem liberè facturam esse cognoscit. At necessarias res, & ex necessarijs Causis ortum habentes, fore ideò videt, quia futuras illas ipse decreuit, esseq absolutè voluit. Non igitur per eius præscientiam mihi potestas libera adimitur, quæ propterea, mihi certior aderit, quia ille, cuius præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præsciuit.*

Aug.

Aug: lib: 3. de libero arbitrio cap: 4. *Sicut non aduersantur sibi hæc duo, vt Tu præscientiâ Tuâ noueris, quòd alius suâ voluntate facturus est, ita Deus neminem ad peccatum cogit, præuidet tamen eos, qui propriâ voluntate peccabunt. Rursus sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præteriêrunt, sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt.* Aug. cit: cap: 4. *Vnde sicut scientia præsentium nihil his, quæ fiunt, ita præscientia futurorum, nihil his, quæ ventura sunt, neceßitatis importat.* Bòëtius lib: 5. de consolat: Philosoph. prosâ 4. Quæ necessitas vulgò consequens, vel in sensu composito appellari solet opposita simplici, absolutè antecedenti, & in sensu diuiso. Benè ad hominem Origenes: *Qui alterum ex alto prospicit in lubrico labentem, non vtiq; ei lapsus causa est, hoc ipso, quod gradientem illum intueatur.* In Comment. ad lib: Genes. pag: 269. edit. Græca. *Sicut, qui currentem hominem aspicit, modum illius cursui minimè suo aspectu constituit.*

14ta. De Scientia media.

Punctum 1mum. Præter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, datur in Deo scientia media seu conditionata, non tantùm rerum sub conditione futurarum, sed etiam nunquam futurarum, quia scilicet. neque conditio ipsa, neque quod ex ea nexum est, & consequens vllo modo sit futurum. Cuiusmodi sunt *Ceilanorum proditio, quâ Dauidem in Saulis manus tradidissent, si eò venisset.* 1. Reg. 23. Tùm *Tyriorum & Sidoniorum pœnitentia, quam futuram pronuntiat Christus, si apud illos eadem, quæ in Galilæa portenta fecisset.* Matth. Cap: 11. Nouit igitur Deus eventa illa, quæ sub conditione aliqua futura erant, & ideò non sunt facta, quia conditio illa defuit. Vnde ex cap: 4. Sap. Aug. contra Pelagianos sæpe illud

cõmemorat. *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius, aut nè fictio deciperet animam illius*. Ex quibus verbis colligit Aug. *Quosdam singulari Dei beneficio ex hac vita, immaturâ morte subtrahi, quos si diutius viuerent, gratiâ & salute multandos esse præsciuit.* de cor: & grat: c. 8. *Est enim consentaneum ab illo, qui peræquè futurum nouit, ac præteritũ, prohiberi paruuli progressionem ad perfectam ætatem, nè malum illud, quod præsciens illa vis, & facultas cognouerit in eo, qui victurus esset, ita perficiatur; atq; ei, qui eâ voluntate arbitrioq; victurus fuisset, materia nequitiæ vita fiat.* Greg: Nyssen orat. de Infant. tom: 2. pag: 764. Nouit igitur Deus animi humani affectiones, non modò quæ potuerunt esse, sed quæ re ipsâ fuissent, si diutiùs homines vixissent. Et quidem tàm certò huiusmodi futura nouit, quàm certò nouit præterita. *Quemadmodum* (ait idem S. Doctor) *magister conuiuij certos præuidens crapulâ & ebrietate lædendos esse, arcet à conuiuio: ita perfectæ prouidentiæ est opus, vt non solùm conflatæ iam affectiones curentur, sed etiam antequam sunt conflatæ, prohibeantur.* Greg. cit. Hinc.

Resoluit 1mò Nemesius Christianus lib: de natura hominis, c. 44. Cur interdum boni viri calamitosi sint, & egestate, alijsque incõmodis opprimãtur? *Scit nimirùm Deus opes & fortunas bonis illis viris, si eas obtinuerint, obfuturas, ideòq; sinit illos paupertate confici, aut orbitate, ne si liberos haberent, horũincolumitas, illorũ obsit saluti.* Nemes: Christ. de nat: hom. cap: 44. ex S. Greg: cit. *Nos futurorum nihil omnino scientes, & in præsentia duntaxat intuentes, perperam euenta dijudicamus, Deo verò etiam futura, perinde sunt ac præsentia.* Idem. Resoluit 2dò Chrysost. lib: 1. ad Stagirium. *Cur Deus Adamum admisso peccato statim è paradiso perturbârit? quòd nimirùm sciret illum multò deteriorem fore? Ideo è paradiso primum Parentem initio statim eiecit, quoniam honor iste tributus illi deteriorem illum fecisset, si immotus & stabilis ille maneret violato præcepto.* Chrysost: lib: 1. ad Stagir. tom: 6. pag: 88.

Resoluit 3tiò Cyril: Alex. lib: 3. contra Iul. cur aliqui immaturo exitu rapiuntur è medio? *Deus qui futura nouit, alios propter pietatem adhuc iuuenes è vita præripit, alios ob detrimenta, quæ per illos erant necessarijs suis importanda: alios item ob ingentes calamitates, quæ futuræ erant, ante subtrahit.*

Resoluit

Resoluit 4tò Aug. lib: de dono perseu. cap: 11. *Plerisq; non esse miraculorum ac prædicationis factam ab illo copiam, quos, si data hæc esset, conuersum iri liquidò cognouerat: de quibus in sua prædestinatione occultè quidem sed iustè aliud iudicauit.* Quod de Tyrijs & Sidonijs cap: 9. & 10. vberrimè disputat.

Vnde 4tò sæpè reprobi sic à Deo vocari ac moueri potuerunt, vt sine dubiò vocati parerent, & salutem assequerentur. *Quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemq; coniungeret, in qua Iacob iustificatus est.* August. lib: 1. Quæst. ad Simplicianum, Quæst: 2. tom: 4 pag: 170.

5tò. *Primo nostro Parenti, si non peccasset, merces meriti futura fuisset, non posse peccare.* Aug lib: de corrept. & grat: in fine, cap: 11.

6tò. *Potuisset Deus in reproborũ, quibus perseuerãtia non datur, cordibus operari, vt nullis aduersitatibus cederent, nec ab ipso aliqua tentatione superati discederẽt: cùm posset, quod ait Apostolus facere, vt non eos permitteret tẽtari, super id quod poterãt. Certè poterat illos Deus præsciẽs esse lapsuros, antequã id fieret auferre de hac vita.* Aug lib: de dono perseu. c 9. *De Tyrijs autem & Sidonijs, quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum, vt crederent, quos etiam credituros fuisse, ipsa Veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, signa vidissent. Ac mox dicit non solùm Tyrios & Sidonios, sed etiam Corosaim & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis voluisset Dominus operari.* Prosper, respons: 8 ad excerpta Genuensium.

7mo Deus iustos & electos suos varijs modis vexari, tentarique permittit, quòd alioqui deprauatum iri illos præsciat. *Quia mira potentia præuidet, quòd si quieti ac liberi in tranquillitate perstiterent, tentationes aduersarij ferre non valentes, mentis prostrati vulneribus iacerent.* Greg: Mag. lib: 33. Moral. cap: 17.

Neq; obstat Aug. lib: 1. de Anima & eius origine ad Renatum. c. 12. dicens. *Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo non rectè dicitur præsciri futurũ? quod non est futurũ? Quomodo ergo puniũtur peccata, quæ nulla sunt, id est, quæ nec vitâ istâ nõdũ incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præueniente post carnem.* Nam præscientiam hîc absolutam August: intelligit: talem certè ex qua repræsentari iure pœna possit, cuiusmodi non debet esse cõ-

ditionalis illa, ob quam iustè nemo plectitur. Quare Pelagiani ipsi secum diffidentes, cùm præscientiam illam verbotenus conditionalem facerent, re tamen, & vsu absolutam monstrabāt, quod nemo nonnisi ex rei aliquando futuræ scientiâ pœnas destinare potest, nedum antequàm quod præuisum est, reipsâ commissum sit, eas infligere. Raptus igitur est immaturâ morte, nè malitia immutaret intellectum illius, vt scilicet tentationum incenso subtraheretur, non verò, vt ob conditionatè præuisa peccata puniretur.

15ta. De Ideis Diuinis.

Ideæ Diuinæ sunt creaturæ possibiles obiectiuè existentes in mente diuina; quas sapientissimus artifex inspiciendo, si velit, operatur. Nam *opifex vniuersa moliens, omnium apud se habet exemplaria. Ita faciens hominem, formam apud se hominis habet, quam intuens condit omnes.* Ammonius in commentario. *Inest autem forma in opifice sic, tanquam effigies in annulo.* Idem. Præclarè Boëtius lib: 3. de Consl: Phil. Metro: 9. - - - - - - *Tu cuncta superno*

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.
Perfectasque iubens perfectum absoluere partes.

Vnde in vna Dei sapientia sunt immensi quidam, atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes inuisibiles, atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium & mutabilium, quæ per ipsum factæ sunt, quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici potest: Porrò si sciens fecit omnia, ea vtique fecit, quæ nouerat. Aug: lib: 12. de Ciuit: Dei. Est enim idea rei alicuius exemplar, ad cuius instar, illa fit; & per quam in efficientis mente, intelligentiaque ante opus esse dicitur, quàm in seipsum existit. Demonstrat hoc idē Aug. in 1mo in Ioan: tract. *Faber* (inquit) *facit arcam. Primò in arte habet arcā. Si enim in arte arcam non haberet, non esset, vnde fabricando illam proferret. Sed arca sic est in arte, vt non arca ipsa sit, quæ videtur oculis.* Mox: *Sic ergo quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequàm fabricet omnia, hinc, quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quidquid factum est, in illo vita est. Terram vides, est in arte terra. Cœlum vides, est in arte cœlum, solem & lunam vides, sunt & ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* Cùm igitur arca, vt est in artificis mente, sit arcæ ab opifice fabricatæ idea, periade creatæ res omnes, vt in Deo sunt, viua quædam exemplaria sunt sui, quatenus extra Deum in seipsis existunt. Hinc Maximus Martyr lib: 4. de char: c. 4. Deum asserit *suam ipsam notitiam rerum creandarum, quam habet ex æterno, produxisse*

duxisse in tempore, eique substantiam dedisse, seu substantiasse, Igitur *priusquam*
fierent vniuersa, fuerunt in ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomo-
do futura essent. Quare cùm ea, quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse ante-
quàm fierent, quantum ad hoc, quia non erant, quod nunc sunt, nec erat, ex quo
fierent, non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis, per quam & secundùm
quam fierent. Deinde illa forma rerum, quæ in eius ratione res creandas præcede-
bat, quid aliud est, quàm rerum quædam in ipsa ratione locutio? Veluti cum fa-
ber facturus aliquod suæ artis opus, prius intra se dicit mentis conceptione. Ansel: in
Monolog: cap: 8. Itaque cùm forma illa, vel formæ potiùs productio, quædam
sit mentis diuinæ locutio, *Summa substantia prius in se, quasi dixit cunctam crea-*
turam, quam eam secundùm eandem, & per eandem suam locutionem conderet. cáp.
10. *Hoc autem nihil aliud est, quàm Verbum, quo vno eodemque dicit seipsum, &*
quæcunque fecit. cap: 32.

16ta. De Diuinæ voluntatis Libero arbitrio.

Punctum 1mum. *Omnia quæcunque Dominus voluit, fecit in cælo,*
& in terra; in mari & in omnibus abyssis. Psal: 134. *Ergo cuius vult mi-*
seretur, & quem vult, indurat. Rom: 9. *Voluntariè genuit nos verbo*
veritatis. Iacob: 1. Porrò Dei libertatem monstrat vsus, ac vis
precationis, eiusque commendatio crebris scripturæ testimonijs
consignata; quòd nimirum voluntatis Diuinæ motus non sit ne-
cessitate defixus, sed liber, & vtrinque momentis paribus flecta-
tur. Vnde diuinæ libertatis index est fidelium oratio, quæ in bo-
norum postulatione, ac malorum deprecatione consistit. Vtrum-
que autem ex Dei voluntate speratur. Monstrat etiam Dei liber-
tatem illius liberalitas, ac gratiæ, quæ gratuitò, non necessitate tri-
buuntur. *Liberalitas quia à libero animo proficiscitur; ita nominata est.*
Sen: lib: de vita beata cap: 24. Et, *Beneficium id est, quod quis dedit,*
cùm illi liceret & non dare. lib: 3. de Benef. c. 19 Monstrat etiam Dei
libertatē summa ipsius ratio & sapiētia. *Quibus enim inest ratio, inest*
etiam volendi nolendique libertas. Honorius Augustodunensis lib: de
præ: & lib: arbit. tom: 9. Bibl: PP. *Vniuersè liberum, ac sui arbitrij*
est, quidquid rationale est. Nemes: Christian: cap: 41. 2dum.
Deliberatio tamen propriè dicta in Deo non est, cuiusmodi in no-
bis est, cum inscitia, & ignotæ rei inquisitione coniuncta. S. Tho.

2. 2. q. 14. ar. 1. ad 2. *Est enim ignorantiæ proprium, consultare. Quod si ignorantiæ est consilium, erit & electio. Itaq; Deus, qui simpliciter omnia nouit, non consultat.* Ioan: Damasc. lib: 2. cap: 22. 3tium. Inest verò Deo libera vtriusque electio. *Potuit Iudam suscitare, vti Lazarum suscitauit, sed noluit.* Aug: lib: de nat: & gratia, cap: 7. *Quia nullam necessitatem patitur, neq; necessitate facit, quæ facit, sed summâ & ineffabili voluntate, ac potestate.* Aug: lib: de fide cõtra Manich. cap: 28. *Idem tamen eatenus necessitatem habere dicitur, quod malum velle non potest.* Lib: 7. contra Iulian: oper: imperf. n. 150. 4tum. Cæterùm omnia Deitatis opera sunt liberè producta. *Omnia operatur vnus, atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Prout vult, inquit, hoc est, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Amb: lib: 2. de fide, c. 3. contra Arianos negantes Spiritũ S. sui esse iuris, nė paris cum Deo maiestatis esse cõfiterentur. Vnde idem Amb. & Basil. veteres Philosophos redarguunt, *quòd crediderunt à Deo necessariò mundum manâsse, sicut à corpore vmbram, vel à luce splendorem.* Basil. hom: 1. in Hexaemeron. pag: 10. Ambr: lib: 1. Hexaemeron. c. 5. 5tum. Porro voluntas Diuina alia est antecedens, alia consequens, illâ vult Deus ex se aliquid sine vlla consideratione circumstantiarum, vt cùm velle dicitur *omnes homines saluos fieri.* Timot. 5. Consequens est, quâ ex certis circumstantijs vult aliquid, quod alioqui nollet, vt cùm aliquos damnari vult. *Sciendum est Deum præcipuâ & antecedente voluntate velle omnes saluari, & regni sui compotes fieri. Non enim nos, vt puniret, condidit, sed vt participes simus ipsius bonitatis tanquam bonus. Peccantes porrò puniri vult, tanquam iustus. Itaq; prima illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum, quòd ex ipso est. Secunda autem consequens voluntas, & permissio, ex nostra causa ortum habens: eaq; duplex, altera dispensatione quadam facta, & ad salutem erudiens; altera cum desperatione coniuncta ad absolutam pœnam pertinens. Bona quidem primariò vult Deus, ac secundùm beneplacitum; mala autem, quæ reuera mala sunt, neq; primariò, neq; consequenter vult; sed libero arbitrio permittit.* Damasc: lib: 1. cap: 29. Huc spectat alia diuisio in voluntatem beneplaciti, *quæ est interior ipsa Dei actio quâ vult quidpiam, & voluntatem signi, quâ externo aliquo indicio, se aliquid velle demonstrat v.g præceptione, prohibitione, consilio, permissione, operatione.* Hugo Victor: tract 1. sum: sent. cap. 13. Petrus Lombard. lib: 1. dist. 45.

De Actu

17ma. De Actu Primo volendi,

Punctum 1mum. Datur in Deo actus primus volendi virtualis tàm respectu amoris liberi, quàm necessarij non tamen realis. *Quemadmodum mouerè motus est operatio, sic velle voluntatis est operatio, & quæ differentia est potentiæ ad actum, eadem est voluntatis ad ipsum velle. Fieri autem non potest, vt velle quidem à voluntate differat, à volente verò non differat. Quodsi nulla ratione fieri potest, vt idem sit velle, ac voluntas, & volens; perspicuum est, qui à Deo & voluntate aliud segregat, eum differentiam agentis ab actione repudiare, quod absurdum est.* Iustin. lib: Quæst. & respoñ. ad Græcos qu: 3. pag: 136. Ex quibus manifestum est in Deo non esse idem velle, ac voluntatem, & quidem nemine cogitante, quia *nemine cogitante velle à voluntate & volente differt.* Secundùm S. Iustinum. Ergo cùm non distinguantur realiter simpliciter propter simplicitatem Diuinam, distinguuntur virtualiter. Pergit S. Iustinus. *Si aliud est, id, quod subsistit; aliud verò id, quod non subsistit, ac Deus quidem illud est, velle autem istud, perspicuum est, qui à Deo, & voluntate diuersitatem reijcit, vel id, quod subsistit reijcere, vel id quod non subsistit,* Idem ibid. 2dum. Ex quibus itidem patet maiorem diuersitatem, quàm sit diuersitas rationis, intercedere inter Dei essentiã, & volitionem; siquidem nemine cogitante tanta diuersitas inter illa intercedit, quanta intercedit inter id, quod subsistit, & inter id quod non subsistit: atqui inter hæc intercedit maior distinctio, quàm sit distinctio rationis, quia iuxta S. Iustinum *nemine cogitante intercedit distinctio.* Ergo & inter essentiam & volitionem intercedit maior distinctio, quàm sit distinctio rationis: hæc autem in diuinis non potest esse alia, quàm virtualis: cùm simpliciter realis & physica repugnat simplicitati diuinæ. Porrò, quòd si Iustinus loquatur de distinctione, quæ datur independenter ab intellectu, patet ex eiusdem contextu de motu & differentia potentiæ ad actum. Item differentia agentis ab actione &c. Ita quoque differit D. Basilius apud Georgium Pachymerem in paraphrasi ad cap: 5. libri de Diuinis nominibus, loquens de Diuinis voluntatibus, *quibus mundum Prouidentia gubernat: quæ quidam initium non habuerunt; finem autem partim habuerunt; earum aliquæ, partim habituræ sunt:* Atqui hoc dici non potest in sensu reali physico. Ergo in sensu æquiualenti & virtualiter. 3tium. Neque verò possunt eadem verba ad voluntatis actionem referri, quæ in opus transit, & extrinsecùs manans est rei procreatio. Non enim ab æterno talis existit actio; sed de interna, quam immanentem scholæ vocant, loquitur. Vnde secundùm Maximum consentientem in adnotatis de energia contra Monothelitas apud Ioannem Cyparissiotum: *Aliud est, qui operatur, aliud operatio, aliud opus, ac maximè ista inter se differunt, scilicet comparatiuè ad differentiam rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis. Operans enim est, qui*

ad ope-

ad operandum mouetur; operatio est veluti motus operatorius, ipsique vt ita loquar cō-
natus voluntatis ad operandum aliquid tendens, & spectans, & simul, vt electio facta
est, quiescens ac desinens, & citò mota ac præteriens. Opera verò sunt, quæ hac ope-
ratione perficiuntur & inde existunt. Tria igitur distinguit S. Basilius cum alijs,
actionem, & operationem Dei ab eius substantia, & agendi virtutem, siquidem
hæc sempiterna est, illa perfecto iam opere desinit, non vtique physicè in sensu
identico, sed æquiualenter. Ex his liquet, ait Ioannes Cyparissiotus Dec: 3.
Quemadmodum voluntas Dei ad creandum creaturas posterior est, & diuersa à sub-
stantia Dei.

18ua. De Actu Dei Libero.

Actus Dei liber bene explicatur per æquiualentiam seu virtualem contingentiam.

Punctum 1mum. *Cùm virtualem in Diuinis distinctionem expli-*
cemus per æquiualentiam quandam infinitæ perfectionis Diuinæ cum rebus
creatis tùm positiuis, tùm negatiuis realiter distinctis, demptis omnibus crea-
turæ imperfectionibus: ideò sicut actus liberi creati realiter, & entitatiuè
sunt contingentes, poterantq; entitatiuè abesse, ita virtualem seu æquiua-
lentem contingentiam habent actus Dei liberi, poterantq; abesse non qui-
dem quòad entitatem, sed quòad æquiualentiam: seu quod re in idem re-
cidit, etsi phrasi videatur differre, quò ad denominationem & respectum,
seu tendentiam. Quia sua eminentiali perfectione infinita, hoc præstant a-
ctus Dei liberi, quod præstant actus entitatiuè absentes, à suis subiectis crea-
tis, qui nimirùm non denominant subiectum volens aut nolens, dùm ab-
sunt. Sicut verò beneficio virtualis distinctionis, essentia, v.g. dicitur non pro-
duci, filiatio produci; licet sint vna physica indiuisibilis entitas: quia scilicet
Deus vnica sua indiuisibili entitate ob eminentialem continentiam omnis pos-
sibilis perfectionis hoc præstat, quod præstant plures Entitates creatæ, quæ quia
sunt realiter simpliciter distinctæ, non important vllam contradictionem, siue
de vna dicatur produci, de altera dicatur non produci. Ita cùm Deus etiam
hanc perfectionem duorum simpliciter distinctorum contineat, non quidem
formaliter, quia in essentia Dei non datur distinctio realis simpliciter, sed emi-
nēter, ideò simplicissimâ indistinctâ suâ entitate præstat idem: ne produci & non
produci, potuisse abesse, non potuisse abesse, esse liberū, esse necessariū &c. sint
prædicata contradictoria. **2dum.** Porrò *cùm Ens quò perfectius est,*
eò ma-

eò magis vniat sibi perfectiones, vti videre est in anima rationali, ideò Deus quia est Ens perfectissimum, omnes possibiles perfectiones in se complectitur, consequenter complectitur in se demptis imperfectionibus rationem ac perfectionem pluralitatis actuum, successionis, nouitatis, contingentia, libertatis &c. Vnde *sine multiplicitate physica æquiualet ob suam infinitam perfectionem, & eminentialem continentiam omnis possibilis perfectionis, pluribus actibus, creatis realiter distinctis, sicuti pro suo modulo species vniuersalior Angelorum perfectiorum, æquiualet pluribus speciebus distinctis.* 3tium. De hac æquiualentia, & virtuali distinctione actuum liberorum DEI non obscurè sunt philosophati SS. Patres superiùs citati. Confirmat hanc denuò insignis Martyr, ac Theologus S. Maximus in Disputatione contra Pyrrhum, vbi ait, *inesse volitionem Dei in eiusdem substantia, hancq́; consequi*, quæ vtique nonnisi in sensu æquiualenti verificantur, cùm entitatiuè volitio Dei, & eius substantia idem sunt. Porrò ex citata doctrina S. Basilij patet, quòd *substantia Dei agendi virtus, ac volitio distinguantur. Vnde etiam voluntatem Dei producendi creaturas dicit esse posteriorem & diuersam à substantia Dei.* Ergo cùm hæc nullo modo verificentur in sensu physico reali, debent verificari in sensu æquiualentiæ, & virtualis distinctionis. Neque ea diuersitas potest refundi in solam distinctionem rationis, quam quidem non excludimus, quia ea diuersitas & distinctio datur nemine cogitãte, præbetq; fundamẽtũ intellectui distinctionis rationis, & insuper indepẽdẽter ab intellectu distinguẽte, verificãtur duo cõtradictoria de actu Dei libero, & illius substantiâ. Ergo ea diuersitas importat virtualẽ distinctionẽ & æquiualẽtẽ distinctioni reali in creatis. Itẽ S. Iustinꝰ insignis Martyr, & Theologꝰ sic argumẽtari videtur, vti ex ipsius textu colligitur. *Quæ differẽtia est potẽtiæ ad actũ, eadẽ est voluntatis ad ipsum velle*, (loquitur autem de Diuinis.) Atqui in creatis est realis in sensu physico. Ergò in Diuinis est æquiualens reali, quæ scilicet æquiualens & virtualis distinctio, ea omnia præstet demptis imperfectionibus, in Diuinis, quæ præstat realis physica distinctio in creatis. Item S. Maximus sic ratiocinari colligitur. *Nulla ratione fieri potest* (sicuti præmisit in antecedenti textu) *vt idem sit velle, & voluntas, ac volens. Ergò qui à Deo & voluntate aliud, (seu alietatem, vel distinctum) segregat, repudiat differentiam agentis ab actione, Hoc autem abhorrere*, dicit S. Theologus, *esse*

 absur

abſurdum. Quod verò S. Maximus non loquatur *de externa actione ſeu creatione*, ſed de interna immanente volitione, iam oſtendi ſuperiùs de actu primo virtuali intelligendi ex ipſa doctrina S. Maximi, Baſilij, & aliorum. Item S. Maximi argumentum pro diuerſitate æquiualenti eſt hoc: *Aliud eſt, id quod ſubſiſtit, aliud verò id, quod non ſubſiſtit, ſed Deus eſt id quod ſubſiſtit, velle ſeu volitio autem eſt, eſt id, quod non ſubſiſtit. Ergo Deus aliud eſt à velle ſuo Diuino.* Ergo cùm non ſit aliud phyſicè & realiter, eſt aliud æquiualenter: ac proinde actus Dei liberi habent alietatem æquiualenter ab ipſa entitate Dei. Præterea S. Baſilius ſupracitatus ita argumentatur: *Diuinæ voluntates, quibus Prouidentia mundum gubernat, initium non habuerunt, finem autem partim habuerunt earum aliquæ, partim habituræ ſunt.* Atqui illarum deſitio non poteſt intelligi in ſenſu reali phyſico, quaſi realiter phyſicè deſinant actus Diuinæ voluntatis liberi. Ergo intelligi debent in ſenſu æquiualenti. Eandem doctrinam de deſitione tradit etiam S. Maximus ſupra citatus. Qui denuò ſic argumentatur pro æquiuatia. *Aliud eſt qui operatur, aliud opus, aliud operatio, ac maximè iſta inter ſe differunt.* Atqui maxima differentia inter Dei ſubſtantiam, & actus immanentes liberos, eſt virtualis & æquiualens differentia, quia maior inter realiter identificata, dari non poteſt. Ergo Dei ſubſtantia, & eius actus liberi differunt ſeu diſtinguuntur (nam hîc pro eodem à SS. Doctoribus ſumitur) in ſenſu diſtinctionis virtualis, quæ æquiualet reali phyſicæ,

4tum. Neq; admiſsâ diſtinctione æquiualentiæ ſequitur eſſe reijciendam diſtinctionem rationis, quæ priori illi innititur: Nam quæ virtualiter aut æquiualenter ſunt diſtincta, ſolidum dant fundamentum intellectui operá ſuâ eadem diſtinguendi. Vnde colligitur tàm volitionem liberam alterius mundi, qnàm nolitionem eſſe nunc & ab æterno in Deo, quò ad entitatem, nec unquam deficere potuiſſe, vtpote realiter identificatam Deo, ſed ſolùm ab eo diſtinctam virtualiter, & quo ad æquiualentiam: Nihilominus tamen à volitione libera alterius mundi, Deum nunc non denominari volentem creare alterum mundum, quia in ordine ad talem effectum volitio alterius mundi, virtualiter, & æquiualenter non eſt in Deo, & perinde eſt ac ſi non eſſet: à

Voltio-

Volitione verò huius mundi denominatur Deus, volens hunc mũ-
dum quia volitio huius mundi nõ solùm est in Deo formaliter, sed
etiam æquiualenter in ordine ad omnes denominationes actuum
liberorum, quas important in creatis, si demas imperfectiones.

19na. De Cognoscibilitate Dei.

Punctum 1mum. Deus quò magis intelligibilis est, eò minùs intelligitur.
Hoc in sensibilibus sol est, quod in intelligibilibus est Deus, quippe sic ille oculos illustrat,
ut iste mentem: atque ut omnium ille, quæ videntur pulcherrimum est, ita Deus o-
mnium quæ intelligentiâ capiuntur: Greg: Naz: orat: 34. pag: 559. *Animad-*
vertite verò quemadmodum sol ille, qui manifestus esse omnibus videtur, neutiquam
accuratè se videri ab hominibus permittit, sed si quis impudenter illum contueri velit,
huic visum eripit. Xenophon: in Lib: 4. de dictis memorabilibus Socratis.
Vnde si creatura creaturam sine fraude atque offensione sui non potest intueri; quo-
modo potest sine periculo sui vibrantem cernere vultum Creatoris æterni, corporis huius
opertus exuuijs? Ambr: in Lib: de bono mortis, cap: 11.

2dum. Porrò duobus modis Deum cognoscimus in hac vita, primùm ab-
stractiuè ex effectis, secundò fide. De priore modo supra dictum est, & ait
Origenes 1. Periar. cap: 1. *Interdum oculi nostri, ipsam naturã Lucis, id est substã-*
tiam Solis intueri non possunt: Splendorẽ verò eius vel radios fenestris fortè, & quibus-
libet alijs receptaculis breuibus infusos intuentes, considerare possumus fons ipse ac
fomes quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radij quidam sunt Dei naturæ,
opera Diuinæ prouidentiæ & vniuersitatis huius ad comparationem substantiæ ac natu-
ræ. Quia Ergo mens nostra ipsum per se Deum, sicut est non potest intueri: ex pul-
chritudine operum, & decore creaturarum, parentem Vniuersitatis intelligit.

3tium. De altero modo ipse Euangelista Ioannes inquit 1. *Deum nemo*
vidit vnquam, Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Hinc
Clem: Alex. in 5to Stromation: pag: 486. inquit. *Inquisitionis illius, quæ de*
Deo est; inuentio, est doctrina, quæ est impertata per Filium.

4tum. Sed naturaliter intuitiuè Deus videri non potest. vt pote *quem*
nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Ad Timoth cap: 6. *Nemo Deum*
videbit & viuet. Exodi 33. Quare in mortali vita, *ex parte cognoscimus, & ex*
parte prophetamus. 1. Cor: 13. Tùm: *Videmus nunc per speculum & in ænigma-*
te: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam
sicut & cognitus sum. Per fidem enim ambulamus & non per speciem. 2. Cor: 5.
Et sanè cùm omnis quam in hac vita consequi possumus, rerum notitia, circum-
scripta sit corpore, corporisque sensibus (*nihil enim est in intellectu, quod non prius*
fuerit in sensu,) Aristoteles 1. Met. cap: 1. Ideòq́ quæcunque corpore carent,

& quæ discerni sensibus nequeunt, ea humani acies ingenij intuitiuè nosse non potest. *Nobis qui terræ vincti sumus, crassaque carne obtegimur, hoc perspicuum est, quemadmodum fieri nequit omnino, vt quis vmbram suam transcendat, quantumuis festinet: ita etiam impossibile est ijs, qui in corpore sunt, absque corporeis rebus, cum intelligibilibus omninò copulari.* Greg: Naz. Orat: 34. pag: 544. Scilicet *maxima ex parte affines sumus rerum mortalium, & præter eas nihil cogitare possumus; neque proprios morbos egredi. Sed in id quod mortale est, subimus cochlearum more ac tanquam illæ circa nosmetipsos in orbem reuoluimur.* Philo Lib: de sacrificio Abelis & Caini pag: 113. Deinde Deum non nisi ex eius effectis cognoscimus. Ergo genuinam & intuitiuam Dei notitiam habere non possumus. Quare cùm rem simplicissimam, vt est Deus, simplici intelligentia, humana mens complecti nequeat, pluribus eam partitur: vti dixi de simplicitate Dei & distinctione attributorum. Præterea *substantia excellentiorem substantiam non potest perfectè scire: quamuis modicum discrimen intersit.* Ioan: Chrysost. Hom: 5. contra Anonim. p. 419. Vnde licet *homo paulò minutus sit ab Angelis, non nouit accuratè Angelorum substantiam, tametsi plurimùm in eam contemplationem incumbat.* Idem ibidem. Ad extremum *quoniam cuiusque rei principium inuentu difficile est, omnino primum & antiquissimum omnium principium ad demonstrandum erit difficile.* Clem: Alex. in 5to Stromatum p. 428. Meritò itaque dictum est à Cyrillo Hierosol. *In ijs, quæ de Deo dicuntur magna est cognitio inscitiam fateri.* Caten: 6. *Hic est enim de quo & cùm dicitur, non potest dici, cùm æstimatur, non potest æstimari: cùm comparatur, non potest comparari. cùm definitur ipsa sua definitione crescit.* Ambr: de Diuinit: Filij cap: 6. Claudat rei veritatem Tertul: in Apologetico cap: 17. *Inuisibilis est, inquit, etsi videatur, incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur: adeò verus & tantus est. Quod verò immensum est soli sibi notū est. Ita eum vis magnitudinis & notum hominibus obiecit & ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. Hinc illa caligo, quâ circumfusus est Deus; effecit; vt si quis in eam penetrare se voluerit, non breuiloquentiam inuenturus sit, sed omnimodam sermonis vel rationis ac mentis etiam inopiam.* Dion: cap: 3. de Myst: Theolog.

5tum. Vnde à fortiori Deus oculo corporeo vel corporis sensibus etiã supernaturaliter cognosci nõ potest. *Nõ enim corporalibus sed spiritualibus oculis Iesus videtur:* scilicet secũdùm id quod Verbũ est. Ambr: apud Aug. Ep: 111. *Videre Deũ sicuti est in natura sua oculus hominis non potest.* Hier: apud Aug. Ep: eâdem. *Quod ad Dei cognitionem pertinet, nullo modo indigemus corpore. Quod enim cognoscit Deum, non oculus est corporis, sed mens.* Orig. Tom: 7. contra Celsum, p. 364. *Falsò igitur nobis Celsus imponit, dicens nos sperare corporis oculis Deum esse visuros,*

& auri.

& auribus vocem eius audituros, ac manibus sensibilibus ipsum esse contrectaturos; Verùm scimus æquinocè cum corporis oculis appellatos esse ab scripturis sanctis oculos alios, &c. Ibidem. Vnde etiam diuinitùs impossibile esse ait Cyril: Hierol. Catechesi 9. *Carnis oculis contemplari Deum. Quod enim corporis est expers, in carnis oculos cadere nequit.* Et quî Deus corporis oculis videri queat, cùm corpore non constet, sed merus sit spiritus? qui non nisi eiusdem generis, id est spiritali mentis acie potest conspici. Quapropter *opus est nobis intelligibilibus oculis ad ea percipienda, quæ solâ intelligentiâ capiuntur.* Theodoretus Serm: 1. contra Græcos pag: 14. Nam id quod spirituale est præque omnibus eius generis Deus, extra modulum & captum est sensuum. Quia nec formis illis, nec qualitatibus præditus est, quibus insigniuntur obiecta sensuum; cùm scilicet neque colorem habeat, nec sonum &c. Ergo nullo sensu corporis percipi potest. Nulla enim potentia cognoscendi, fertur aut ferri potest extra sphœram sui obiecti, sicuti oculus sonum videre nequit, nec auris audire colorem. Vnde rectè August: Ep. 6. ait: *Omne quod oculis corporis conspici potest in loco aliquo sit, necesse est; nec vbique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & maiore maiorem. Non ita verò est Deus inuisibilis, & incorruptibilis.* Quod etiam in Epist: 111. tradit. *Deus enim vbique totus est, quare videri oculo non potest. Nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest, quàm vt loci spatio distendatur.* Ad extremùm si oculo corporis Deus videri potest, cur non etiam sensibus cæteris videri poterit? *Sonus ergo erit Deus, vt possit etiam auribus percipi? & halitus erit, vt possit sentiri olfactu? & liquor aliquis erit, vt possit & bibi? & moles erit vt possit & tangi?* Ambr: Lib: 1. in Lucam.

6tum. Quare Deus oculo corporeo quantumuis subtilisato & sublimato, post resurrectionem corporum gloriosorum videri non poterit etiam diuinitùs. Etenim *quantumuis subtile ac gloriosum fiat, non tamen homo ipsum quod corpus est, per gloriam resurrectionis, amittet, & fiet spiritus.* Aug. Ep: 112. Sanè Christi Corpus post resurrectionem putat esse subtilissimum. Anselmus in lib. de Sacramento altaris, cap: 4. & tamen nec corpori Christi ea prærogatiua concedi potest. Quare S. August: eos qui oculo corporis subtilisato putant Deum posse videri saltem supernaturaliter, docet *magis desipere, quàm qui carnem asserunt conuersum iri in substantiam Dei, & hoc futuram esse, quod Deus est; vt sic eam saltem videndo Deo faciant idoneam, non tanta diuersitate dissimilem.*

At verò nec Christi caro aliud futura est, quàm Christi caro, nec in naturam commutabitur diuinitatis aut spiritûs; igitur non aliter vti poterit sensibus, quàm quemadmodum fert natura sensuum. Accedit, quòd oculi non videant, nisi distantia. Deus autem distare non potest. *Hoc habent quippe oculi corporis, vt non solùm corpora videant, sed nec videre possint, nisi inter ipsos & ea, quæ vi-*

dent spatij cuiusquam media internalla fuerint. *Inde est, quòd cùm alia plurima*
videant, seipsos videre non possunt, nec vident in se, cùm vident extra se. *Nam*
& ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adiungitur. *Quis-*
quis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est, vt eum dicat ab ipsis ocu-
lis spatio corporali separari. *Quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis, Deus vi-*
deatur, ipsum cogitet, quia sapientia est, veritas est, charitas est. *Quocirca quibus*
oculis videtur sapientia, veritas & charitas, ipsis oculis videtur illa sapiens veraque
Diuinitas. Fulgent: in respons. ad quæst: 3tium Ferrardi. Non corporis igi-
tur sed cordis seu mentis oculis à Beatis Deus videbitur. *Beati mundo corde,*
quoniam Deum videbunt. Sed cur dicimur in Patria videre facie ad faciem, si
oculis corporis non videbimus Deum? Videmus nunc per speculum in ænigma-
te, tunc autem facie ad faciem? 1. Cor: 13. Respondet S. Augußt: Epist: 12.
Intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, vnde videmus nunc per speculum in
ænigmate. *Hec autem vtrumque interioris hominis munus est; siue cùm in ista pe-*
regrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua vtimur speculo & ænigmate: siue in
illa Patria, cùm per speciem contemplabitur, pro qua visione positum est facie ad fa-
ciem. Ioan: Epist: 1. cap: 3. *In tantum ergo videbimus, in quantum similes ei eri-*
mus; quia & nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. *Inde*
igitur videbimus, vnde similes erimus. *Quis autem dementissimus dixerit, corpore*
nos esse, vel futuros esse similes Deo? *In interiore igitur homine ista similitudo est, qui*
renouatur in agnitionem Dei, secundùm imaginem eius, qui creauit illum. Aug: E-
pist: eadem. *Quocirca Deum esse visibilem est esse intelligibilem, vt ea nostri parte*
videatur, quæ in sufflatione Dei nobis indita, in nobis est maxima. *Attingimur igitur*
cum eo, quo inde sumus, atque pendemus. Marius Victorinus lib: 3.

20ma. De Comprehensione Dei.

Punctum 1mum. Comprehendere nihil aliud est quàm rem totam clarè, ac
perspicuè cognoscere, sic vt illius nihil lateat. *Aliud est videre, aliud totum vi-*
dendo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod præsens vtcunque sentitur,
totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem,
aut cuius fines circumspici possunt: sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circũ-
spicere antẽ potes fines annuli tui. Aug: ep: cxij. cap: jx. Vnde idem Aug. lib: 12.
de Ciuitate Dei cap: 18. contra quosdam negantes Diuinâ scientiâ comprehen-
di infinitos numeros infert. Quapropter, *si quidquid scientia comprehenditur,*
scientis comprehensione finitur: profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo
finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est.
Punctum 2dum. Deus igitur incõprehensibilis est. Nam *incomprehẽsi-*

bilia

bilia sunt iudicia Dei, quia quamuis proficiat quis in scientia, & sapientiæ arcana rimetur, tamen creata natura increati substantiam, ut talis est, nunquam potest ad plenum comprehendere. Nam cum de illa aliquid apprehenderit, alia plurimum se rursùm offerunt quæstioni, & cùm illa perceperit, alia etiam altiora quæque occurrunt. Tanta itaque quærenti inuestigandi materia suggeritur, ut reliquorum perscrutatio oblinione inuoluat etiam priorum scientiam. Quemadmodum enim omni hoc lumine, ut pura lucernæ, quod vides, ineffabiliter melior, ac præstantior est solius splendor: ita quantumuis de illo corpore, & intelligere possumus, longe id quod assequimur interuallo superat. Origenes in primo Periarchon. Rectè Epiphanius Hæresi 70. n. 7. & 8. *Infinitus Deus videtur, non ut se habet in sese infinitum, sed quomodo capere natura potest. Veluti si quis per angustum foramen, cælum aspiciat, ac dicat video cælum, non vtique mentitur, videt enim reuera cælum, Quodsi quis prudenter ei dicat; non vidisti cælum, neque iste mentietur. Tàm enim, qui ait vidisse, non mentitur, quàm qui ei dicit non ipsum vidisse, vera loquitur. Quippe non vidit eius exporrectionem, neque latitudinem. Ita quoque sæpe accidit, ut ex alto montis vertice mare prospiciamus. Quodsi nos illud vidisse dicamus, non mentiemur: neque si contradixerit aliquis, ac vidisse nos negauerit, non ille verum dicet, propterea quòd cùm homo sit, quô illius latitudo aut longitudo, quô altitudo pertingat: quamq; altè sint voraginis illius recessus, sed nec illius effecta pervidere potest.* Ad comprehensionem nimirum non sufficit inuentio eius quod quærebamus, sed etiam perfecta ipsius possessio in cognitione. Quare Iob 11. ait. *Forsitan vestigia Dei comprehendes? & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior inferno & unde cognosces? Lõgior terrâ mẽsura eius & latior mari.* In quem locum apprimè Gregorius lib. 10. Moral. cap. 7. *Excelsior itaque est cælo, quia ipsi quoque electi spiritus Visionem tantæ celsitudinis perfectè non penetrant.* Ac paulò post. *Excelsior igitur cælo fit, cùm ipsa in eum nostra contemplatio deficit.* Quodsi opponas; Rei simplicis, & nulla mole distentæ pars est nulla. Ergo Beatus Deum aspiciens simplicissimum, omne cognoscit, quod in Deo est. Nam quidquid illud est, quod aciem eius subterfugit, vel est Deus, vel alienum aliquid, & aduentitium. Hoc posterius nullum est in Deo. Prius verò sin Deus est, latere prorsùs videntem non potest, ne partibus constare videatur, quarum vna palàm sit, altera celetur. Respondeo idcircò non posse comprehendi Deum, quia non potest tota illius efficientia cognosci, nec effecta omnia capi, quæ ab illo manare possunt. Vnde sic illi qui Deum clarè ac perspicuè contuentur, totam eius essentiam ac proprietates omnes vident: vt non ad vniuersa, quæ infinita sua vi, & efficientia moliri potest, clara illorum cognitio pertineat. Porrò eorum, quæ inesse Deo cogitantur, quædam per se ac propriè, & vt Scholæ loquuntur, formaliter in eius natura continentur: alia

non per ſe ſed vi ſolâ, & efficientiâ, quatenus produci ab illo poſſunt, ſeu, vt ſcholæ dicunt, eminenter continentur. Quod in ſolis exemplo manifeſtum eſt. Hic enim vniuſmodi formâ, & qualitate præditus eſt, luce ac ſplendore, quam proinde formaliter in ſe habet: calorem verò ac ſiccitatem, qualitateſq; cæteras in ſola virtute, ac poteſtate continet: ſimiliter effecta omnia, quorum cauſa eſt. Non enim exempli Causâ aurum eſt aut lapis, quæ illius efficaciâ formantur. Qui ergo ſolem vel oculis vel mente plenè percipit, totam quidem illius ſubſtantiam, & quæ formaliter illi inſunt capit, non tamen omnia effecta virtualiter in eo contenta neceſſariò cognoſcit: quodſi hæc cognoſcat, cōprehenſionem erat adeptus. Ita Beati, qui Deum clare facie ad faciem vident, totum id, quod Deus eſt, diſtinctè cernunt, non tamen eundem comprehendunt, quia vniuerſa effecta quæ infinita vi ſuâ procreare poteſt, non cognoſcit. Huic comprehenſionis notioni ſuffragatur S. Thom. qu. 10. p. 3. art. 2. Vbi inquirit, an Chriſti anima in verbo id eſt in diuinâ eſſentia, omnia exiſtentia, & futura, ac purè poſſibilia nouerit, & reſpondet videre illam quidem omnia, quæ ſunt, aut erunt, non tamen, quæ eſſe poſſunt. *Hoc enim eſſet*, inquit, *comprehendere omnia, quæ Deus poteſt facere: quod eſſet comprehendere diuinam virtutem, & per conſequens diuinam eſſentiam: Virtus enim quælibet cognoſcitur per cognitionem omnium, in quæ poteſt.*

Punctum 3tium. Non eſt probabile præter infinitam extenſionem cognitionis pro comprehenſione requiſitam, præterea requiri, vt tanta ſit perfectio cognitionis, quanta eſt in obiecto perfectio cognoſcibilitatis. Hæc enim æqualitas ſit repræſentatia potiùs oportet, quàm eſſentialis, ſeu obiectiua, & intentionalis magis, quàm entitatiua. *Non ita videbimus Deum, ſicut videt ipſe ſeipſum. Longè quippè diſpariliter videt creator ſe, quàm videt creatura creatorem. Nam quantum ad immenſitatem Dei quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creatura ſumus.* Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 28. in fine.

2ma. De Prouidentia Dei.

Punctum 1mum. Prouidentia Diuina eſt, cuius vi, ac poteſtate omnia, quæ videmus, & facta ſunt, & reguntur. *Quatenus Deus bonus eſt, prouidet: Qui enim non prouidet, non eſt bonus. Nam & homines & beſtiæ propriorum fætuum prouidentiam habent naturali quodam inſtinctu: & qui non prouidet, vituperari ſolet. Quatenus autem ſapiens eſt, optimè rebus proſpicit.* Damaſc. lib: de fide cap: 29.

Quare

Quare meritò miram Dei prouidentiam extollit Romanus Orator. 2. de Nat: Deor. *Quis hunc hominem dixerit, qui cùm tàm certos cæli motus, tàm ratos astrorum ordines, tàmq; omnia inter se connexa, & apta viderit, neget in his vllam inesse rationem, eaq; casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? Quam solertiam* (Lactan: lib: 2: cap: 5.) *diuinæ potestatis in machinandis itineribus astrorum, quia Philosophi non videbant, animalia esse sidera putauerunt, tanquam pedibus, & sponte, non diuinâ ratione procederent.*

Punctum 2dum. Prouidentiam Dei demonstrat 1mò rerum conditarum testimonium. Quia *non sine testimonio Deus se reliquit.* Act: 4. *Hoc testimonium Dei est mundi pulchritudo, & cætera, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbentur: vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ prouidentiæ doctrina legeretur.* Prosper: lib: 2. de vocat: gent: cap: 4. *Non sunt igitur loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Psal: 18. Sed sunt, & ad visum ferientibus, & ad memoriam exarati sermones literis. 2dò. Prouidentiam Dei demonstrat, solis tùm diurna, tùm annua conuersio: *Ut non modò lucis, ac tenebrarum, mutuæ vicissitudines fierent, quibus laboris, & quietis alterna spatia constarent, sed etiam frigoris & caloris: vt diuersorum temporum vis, ac potestas vel generandis, vel maturandis frugibus conueniret.* Lactant: lib: 2. cap: 5. Nam *sine luce nihil differremus à cæcis. Pro alterna verò requie, noctem indulsit aptissimam. At sol diurnas horas indicat, sidera noctis horas demonstrant, Luna itidem non solùm noctis sed etiam mensis partes nobis manifestas reddit.* Xenophon. 4. Apomnemon: *Omnia igitur plena sunt diuino Numine.* Alex: apud Cyril. lib: 3. contra Iul. 3tiò. Prouidētiã Dei demonstrat in rerũ conflictione mutua, perseuerantia, vt non modò non perimantur vniuersæ, sed nec species aliqua, hostili impressione concidat. *Res nostræ tàm agitabiles sunt, quàm inconcussæ. Aliter atq; aliter se habent, sed prouidentiæ ordine fixæ sunt.* Greg: Nazian: orat: 1. contra Iuliũ. 4tò. Prouidentiám Dei demonstrat stirpium & animantiũ rata propagatio. *Quomodo ex homine homo, bos ex boue semper gignitur, & singula proprio ex satu nascuntur, si non est Prouidentia? Quod si quis naturali, ac necessaria quadam serie progredi ista dixerit, nihil dicet aliud*

 nisi

nisi Prouidentiam unà cum creatione versari. Est enim Prouidentia rerum, quæ sunt conditæ, gubernatio. Nemesius cap: 42. 5tò. Prouidentiam Dei demonstrat humanorum vultuum varietas. *Sine qua neq; coniuges se mutuò discernerent, nec amicus ab hoste dignosceretur, neq; à liberis Parentes, nec hi filias ab externis aut vxoribus suis distinguerent* Nemesius ait. *Alij de filio erratici, contentionis conflictatione certarēt, alij nescirēt, qui esset illi, qui sibi paulò ante seruierāt. Alter ex ingenuis natalibus natus, quasi seruus ex confusa similitudine traheretur, nisi vniformem istam colorum similitudinem maxima vultuum dissimilitudo variaret.* Iulius Firm: lib: 1. cap: 4. 6tò. Prouidentiam Dei demonstrat animantium consilio non vtentium industria. *Omnia penetrat diuina sapientia, implet omnia, idq; locupletiùs ex irrationabilium sensibus, quàm ex rationabilium disputatione colligitur. Validius est enim naturæ testimonium, quàm doctrinæ argumentum. Cuiq; animanti cognitum est, quemadmodum suam tueatur salutem. Si virtus suppetit, resistendo: si velocitas, fugiendo: si astutia, præcauendo. Quis eas vsum medendi herbarumq; docuit notitiam? Homines sumus, & sæpè specie herbarum fallimur, & plerumq; quas salubres putamus, noxias reperimus. Quoties inter dulces epulas cibus lethalis irrepsit, & inter ipsas aulicorum excubias ministrorum, vitalia regum feralis esca penetrauit! Feræ solo nôrunt odore noxia, & profutura discernere: nullo præuio, nullo prægustatore, carpitur herba, nec lædit, Melior enim magistra veritatis natura est.* Ambros: 6. Hexaëmeron cap: 4. Prouidet igitur Deus omnibus, & admirabili sapientiâ, ac bonitate consulit. Et quidni prouideat, & consulat? qui vbique præsens intuetur omnia. *In omni loco, oculi Domini contemplantur malos & bonos.* Prou: 15. *Vbi generalem esse in omnes Domini visionem, sed meritorum fieri disparilitate diuersam.* Ait Saluianus lib: 2. de gubern: Dei. Neque modò omnia coram à Deo videntur, sed & gubernantur. *Cùm sis ergò iustus, iustè omnia disponis.* Sap: 12. *Et cum magna reuerentia disponis nos.* Sap: 15. Neque tantùm gubernantur, sed & mortalium facta omnia à Deo iudicabuntur. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.* Ecclesiastæ 12. Ad extremùm Prouidētiæ Diuinæ domesticum testimonium apud quemque est, nisi naturæ vocem peremit atrocitate scelerum, & despe-

ratio-

ratione humanitatem exuit. *Nullum arbitror, aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris diuinâ prouidentiâ consuli existimet.* Aug: lib: 1. de Mor: Eccl.

Punctum 3tium. Diuina prouidentia non summa tantùm, sed etiam infima & minima curat. Nouit enim singula, quibus egeant, & ad subministranda, nec facultas, nec bonitas deest. Quare *nè putemus unquam Deum mortalibus esse deteriorem opificibus; qui opera sua, quantò meliores fuerint, tantò elaboratiora perfectioraq; siue parua, siue magna, eadem arte perficiunt.* Plato 10. de legibus. *Non enim sine paruis lapidibus, magni rectè ac commodè collocantur.* Idem: *Quemadmodum in ciuitatibus, qui annonæ, & macelli curam habent, nullius alterius causâ laborant, quàm hominum: eius tamen prouidentiæ fructus ad canes, & alia bruta peruenit: ita diuina prouidentia, ratione præditis præcipuè prospicit, ex consequenti autem etiam bruta animantia ijs perfruuntur, quæ hominum gratiâ procreata sunt.* Origen: 4. contra Celsum. *Qui dat iumentis escam, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Psalm: 166. *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eò, quòd non habeant cibos?* Iob 38.

22da. De Iniustis Querelis contra Prouidentiam Diuinam.

Vt stultitiam magna latrantem sui pudeat, querelas eius contra Prouidentiam adduco.

Prima. *Posuistis in ceruicibus nostris sempiternũ Dominum, quem dies & noctes timeremus? Quis enim non timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotij Deum?* Apud Cicer: 1. de Nat: Deor. Itẽ ibidem. *Si in ipso mundo Deus inest aliquis, qui regat vniuersa, næ ille est implicatus molestis negotijs & operosis.* Castigat hanc opinionis dementiam solis testimonium, Dei Prouidentiæ subscribens. *Licet enim Sol corpus sit, singula tamen luce complet suâ, & ad ima quæq; pertinet, quorum nec author est, nec gubernator; cur igitur diuina vis corporis expers eodem momento non peruadat, omnia quæ sola & fecit, & gubernat,*

 bernat,

bernat, etiam cùm nos ad eam excipiendam inepti sumus, vt enim, qui in sole dormiunt, aut oculos claudunt, etsi eius splendore non illuminantur, ardorem tamen sentiunt: ita, qui prauitate suâ Prouidentiæ Diuinæ benignitatem repellunt, seruitutem non effugiunt. Ammon: lib: de interpret. *Verùm neq; negotiosum Deum esse benè arguitur: non enim aliena opera, in quæ potestatem non habet, tractat.* Plotinus Erin: 4 lib: 4. cap: 12. Alterum contra Prouidentiam Diuinam argumentum est; quotidiana vitæ huius incommoda, & tot bonis admista mala. Item tanta rerum inæqualitas, vt & bonis viris pessima multa, & malis prospera contingant. Vnde queritur Boëtius lib: 4. de consol. pr. 1. *Ea ipsa est, vel maxima nostri causa mæroris, quòd cùm bonus rerum rector existat, vel esse omninò mala possint, vel impunita prætereant.* Huic aliud maius adiungitur. Nam *imperante florenteq; nequitia, virtus non solùm præmijs caret, verùm etiam sceleratorum pedibus subiecta calcatur. Quæ fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantùm modò volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri.* Verùm quibus de causis mala oriri permittat Deus, vel etiam efficiat.

Respondet 1mò Sinesius lib: 2 de Prouid. vt *scilicet in propinquo positis malis, non solùm notiora, sed etiam perfectiora fiant bona, quæ hoc modo purgantur, ac veluti defæcantur. Ideò ficus videmus esse suauissimum fructum, folia verò, corticem, radicem, & truncum, omnia hæc acrioris esse succi. Videtur enim quidquid deterius habet arboris natura, id in ijs, quæ non sunt esui consumere: quod verò est optimum, id in fructibus, merum, ac sincerum relinquere.* Illustrat id ipsum S. Aug. lib: de Gen: ad literam imperf. cap: 5. tom: 3. Sicut in cantando interpositiones silentiorum suauitati cantilenæ aliquid conferunt, & vmbræ in picturis non specie, sed ordine placent: ita quasi ex antithetis quodammodo omnium rerum pulchritudo figuratur.

Respondet 2dò Nemesius cap: 64. *Quemadmodum nemo propterea vel mare vspiam esse negat, quòd eius mensuram non assequitur, vel arenam, quòd eam numerare non potest, sic prouidentiam ob id è medio tollere non oportet, quòd eius effecta & vestigia comprehendere nequimus.* Addit idem aliam sapientissimam causam. *Pronum ad conuersionem hoc*

animal

animal est, & quod pro opportunitatibus, ac temporibus celerrimè mutatur. Vnde necesse est congruentem, diuersam, & variam prouidentiam exæquari. Quã ob rem par non est nostrã inscitiã ad rerũ curæ ac prouidẽtiæ subuersionem transferre. Respondet 3tiò Lactan: lib: de ira Dei cap: 13. Ideò *proposuisse Deum homini mala, & bona, quia sapientiam dedit, cuius omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est. Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset, sic etiam mala, quæ caueret.*

Verùm sit sanè ita de vitæ huius incommodis, quæ ex æquo omnibus eueniunt: illud maximè mouet, quòd sceleratos homines ad bonorum perniciem impunè grassari permittat. Respondet doctissimè D. Aug: lib: 11. de Ciuit: Dei cap: 18. *Neq; enim Deus vllum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nôsset, quibus eos bonorum vsibus commendaret: atq; ita ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Et mox: sicut ergò *ista contraria contrarijs opposita, sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione, sæculi pulchritudo commendatur.* Hinc Ecclesiasticus cap: 33. *Contra malum, bonum, & contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator, & sic intuere in omnia opera Altissimi; duo contra duo, & vnum contra vnum.*

Respondet 4tò S. Aug. *Quid faciunt in hoc mundo homines mali? In fornace aurificis palea quid facit?* Serm: 3. de dedic. Et serm: ex de diuersis cap: 5. *Quid Diabolo nequius, & de illius nequitia quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro salute nostra sanguis Redemptoris, nisi per nequitiam desertoris.* Et cap: antecedente. *Sicut enim mali homines malè vtuntur creaturis bonis, sic creator bonus benè vtitur hominibus malis.* Et post: *Pictor nouit vbi ponat nigrum colorem; vt sit decora pictura: & Deus nescit, vbi ponat peccatorem, vt sit ordinata creatura.* Hanc Diuinam sapientiam, quæ decreta sua perficit per ea ipsa, quibus homines vel Dæmones disturbare illa conantur, laudat S. Greg: lib: 6. moral. cap: 12. *Voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt: atq; omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur. Quia sæpè & hoc eius dispositioni aptè militat, quod ei per humanum studium friuolè resultat. Solet omninò*

Deus ijs uti, quæ contraria maximè videntur ad ea peragenda, quæ apud se statuerit, summum nobis inde potentiæ suæ specimen præbens. Chrysost: hom: 9. in Matth.

23tia. De Prædestinatione.

Punctum 1mum. *Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Aug: lib: 1. de bono perseu. cap: 14. Vel iuxta D. Thomam 1. p. q. 24. art: 1. *Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam. Sicut enim sagitta suis viribus non potest peruenire ad scopum, sed à sagittario transmittitur, & dirigitur: ita etiam creatura rationalis non potest suis viribus peruenire ad vitam æternam, & ideò per media supernaturalia à Deo dirigitur in vitam æternam.*

Punctum 2dum. Porrò tres sunt effectus Prædestinationis, Vocatio, Iustificatio, & Glorificatio. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Rom: 8. Vnde hi effectus pendent ab æterna prædestinatione in genere Causæ efficientis, sicut voluntas, quâ ab æterno decreuit creare mundum, fuit vera Causa efficiens creationis mundi. Quare S. Aug. lib: de Prædest: Sanctorum cap: 10. dicit. *Prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.*

Punctum 3tium. Vocatio, seu Prima gratia excitans non datur ex præcedentibus meritis de condigno, sed omninò gratìs. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Rom: 9. *Si autem gratia iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Rom: cap: 11. *Vocauit nos vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam.* 2. Tim: 1. Neque gratia iustificãs datur ex præcedẽtibus meritis, sed omninò gratìs. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Rom: 3. *Gratìs iustificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Trid: Sess: 6. cap: 8. Vita æterna seu gloria datur nobis ex præcedentibus meritis de condigno: ideòque in sacra scriptura vocatur merces, brauium, & corona iustitiæ. *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.* Matth: 5. *Deus reddet unicuique secundùm opera sua: ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis incorruptionem quærunt, vitam æternam &c.* Rom: 2. *Bonum certamẽ certaui, &c. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* 2. Timot.

Punctum 4tum. Sicut in tempore confert gloriam propter merita, sic ab æterno decreuit eam conferre propter merita, & ab æterno prædestinauit, seu efficaciter, & absolutè, elegit ad gloriam ex præuisis meritis, & quidem v-

troq;

itroque modo tùm post præuisa merita, cùm propter præuisa merita. Porrò e-lectionem absolutam & efficacem ad gloriam, post, & propter præuisa merita absoluta esse factam, colligimus 1mò ex Matth: 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Et infra: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare.* Porrò præparatio vitæ & mortis, nihil aliud est, quàm prædestinatio, & reprobatio: cùm ergò præparatio vitæ facta sit propter præuisa merita, & mortis propter præuisa peccata, vtraque facta est ex præuisis operibus. Neq; præparatio hæc pertinet ad voluntatem exequentem, non autem ad prædestinantem. Quia in alijs similibus locis S. scripturæ, præparatio pertinet ad voluntatem prædestinantem. Rom: 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ suæ, quæ præparauit in gloriam.* Et 1. Cor: 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus illis, qui diligunt illum.* Colligimus 2dò ex 1. Timoth: 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Hoc non potest intelligi de voluntate efficaci, alioqui omnes salui fierent: sed de inefficaci & simplici dandi omnibus vitam æternam. Hæc autem voluntas inefficax, non potuit fieri efficax, & absoluta nisi ex præuisione meritorum. Cùm enim in generali & inefficaci voluntate omnes saluandi, omnes fierent pares, tàm reprobi, quàm prædestinati, non est ex illa paritate inter illos facta separatio, nisi propter aliquod superueniens, quod alios arceret à vita æterna, alios efficaciter admitteret. Hoc verò superueniens fuerunt opera futura præuisa. Nam si ante præuisa bona opera aliquos efficaciter ad misit, & elegit ad gloriam. Ergo in eodem instanti vel positiuè se habuit circa reprobos, vel negatiuè. Non negatiuè: quia voluntate inefficaci voluit illos saluos esse iuxta D. Paulum. Si positiuè, vel ergo in eodē instanti voluit illos efficaciter damnare, vel inefficaciter saluare. Non prius: quia hoc Caluinisticum est. Si posteriùs: Ergò in illo instanti voluit illis dare vitam æternam sub conditione, si benè operarentur, & non impedirent: Ergò si postea præuidisset illos bene operaturos iam absolutè & efficaciter, voluisset dare illis vitam æternam: consequenter absoluta, & efficax electio illorum fuisset facta ex præuisis meritis. Quā colligimus 3tiò ex multiplicibus locis S. scripturæ, vbi *vita æterna* dicitur *præmium, merces, retributio, corona iustitiæ.* Nemo enim efficaciter & absolutè vult alicui mercedem, aut præmium nisi ex meritis. Neque verò de voluntate exequente, non autem prædestinante illæ denominationes verificantur. Nam hæ duæ voluntates non possunt distingui in decreto dandi mercedem. Quia nulla potest esse voluntas efficax dandi mercedem ante exhibita, vel præuisa merita. Implicat enim dare mercedem pro labore, nullâ habitâ ratione laboris. Neque ratio hæreditatis attributa vitæ æternæ saluat electionē

effica-

efficacem ante præuisa merita: cùm hæreditatis ratio non iure nativitatis, sed adoptionis vitæ æternæ competat. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Rom. 8. Vnde ad hæreditatem adeundam nobis necessaria duo sunt: Adoptio per iustificationem, & conseruatio iuris acquisiti, declinando *à malo, & faciendo bonum.* Quare neminem Deus efficaciter, & absolutè eligit ad gloriam, nisi habeat duas conditiones, vt sit adoptatus per iustificationem, & post adoptionem non peccet, sed benè operetur. Prior requiritur Ioan. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui ex Deo nati sunt.* Et ad Titum 3. *Vt iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem, vitæ æternæ.* Altera verò requiritur. Coloss. 3. *Quodcũque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et Rom. 8. *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & cõglorificemur.* Cùm verò adoptio communis sit prædestinatis, & reprobis, quæ causa est, cur ex illa paritate alij eligantur absolutè ad vitam, alij reprobentur. Respondeo. Quia alij præuidentur benè, alij malè operaturi post adoptionem. Igitur præuisio bonorum & malorum operum prior est absoluta electione & reprobatione.

Punctum 4tum. Reprobatio negatiua non est facta ante absolutè præuisa demerita.

Tum quia iustè reprobi possent exprobrare de sua derelictione eo signo facta, quo aliorum facta est efficax electio ante præuisa absolutè eorundem merita: Nam Deus optimus post primum illud decretum conditionatum omnes saluandi, nullâ occasione sumptâ à reprobis ex se statim illos efficaciter negligit.

Tum quia illa voluntas conditionata saluandi omnes esset frustranea & illusoria, si illa ipsa conditio antecedenter pendet ab ipsius decernentis noua volitione. Quia sensus illius voluntatis hic erit; Volo saluare omnes, si elegero antecedenter omnes.

Tum quia querimonia Dei sæpiùs in scriptura repetita, quòd pauci suam gratiam acceperint, videretur Deum non decere: nam supposito quòd antecedenter sint electi independenter à meritis absolutè præuisis, causâ illius paucitatis antecedens esset ipsa Dei gratuita electio.

Tum quia Prædestinationis infallibilitas non esset componibilis cum libertate nostra. Nam illa electio efficax est antecedens, & non potest cum illa componi negatio gloriæ; neque est in potestate liberi nostri arbitrij, illam electionem efficacem fuisse vel non fuisse.

Tum quia hæc neglectio ob nulla illorum demerita præuisa, licet non sit positiuè formaliter reprobatio, est tamen æquiualenter reprobatio. Nam quo ad effectus suos æquiualet positiuæ reprobationi, imò cùm non sit pura omissio

electi-

electionis circa exclusos, datur in Deo voluntas positiua nolens includere reliquos in electione. Æquiualet ergò negatiua reprobatio antecedens demerita positiuæ reprobationi. 2dò. Quia ex vi reprobationis negatiuæ certus est antecedéter Deus ad præuisa hominum demerita, & merita; neminem præterea saluandum extra numerum à se electorum. 3tiò. Quia ex vi illius negatiuæ exclusionis, idem omninò effectus damnationis infallibiliter, nullâ causâ absolutè datâ ex parte hominis sequitur. 4tò. Si aliquis protestaretur se velle habere decem cōniuas in conuiuio, & liberè ex se decerneret ianuam duobus aperire, talis in humana æstimatione idem faceret, atque si decerneret reliquos octo non admittere. Ergò similiter dùm Deus dicit, volo omnes saluos fieri, & liberè ex se antecedenter ante vllius demerita decernit certum tantùm numerum saluandorum, non videretur sincerè voluisse omnes saluos fieri. Contrarium certè colligimus ex sacris scripturis. *Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum.* Oseæ 13. *Nunquid voluntatis est meæ mors impij, nolo mortem peccatoris &c.* Ezechiel: 18. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, vt pereat vnus de pusillis istis.* Matt: 18. Contrarium etiam colligimus ex SS. Patribus. *Omnia Dei bona in commune sunt data omnibus, & quantum est in ipso, hoc est, secundùm consilium eius ac voluntatem, cuperet omnes probos, ac laudabiles esse, ac virtute, fideque præditos.* Method. in cap: 9. ad Rom. *Si salus hominum ex sola Dei charitate penderet, saluari omnes oporteret.* S. Chrysost: homil: 1. in Epist: ad Eph.

Quare non minùs exclusio à gloria efficax & absoluta facta est post absolutam præuisionem demeritorum, & finalis impœnitentiæ, quàm electio efficax ad gloriam facta est post absolutam præuisionem meritorum, & finalis perseuerantiæ. *Quia sciebam vos eiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuerunt.* S. Chrysost: hom: 8. in cap: 25. Matt in quo Christus recenset opera bona & mala, propter illa addicens Regno cœlesti, propter hæc addicens igni æterno. Ergò opera præuisa fuerunt motiuum non solùm voluntatis exequentis, sed ipsius etiam præparationis, & destinationis. Nam Christus non solùm significat executionem, seu decretum executiuum conferendæ gloriæ esse ob merita, cùm dicit. *Venite, possidete*, sed etiam ipsam præparationem seu electionem, dicendo. *Regnum vobis à constitutione mundi paratum*; ita vt merita non solùm sint causa possessionis, seu decreti executionis, sed etiam ipsius præparationis, seu destinationis ad gloriam. *Si laboraueritis, erit vobis præparatum à Patre meo regnum.* Epiph: Hæresi 69. *Liberum seruiat arbitrium, vt in vtramque partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.* Hier: in cap: 1. Isaiæ. Constat id quoque ad Rom: 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit*, quem locum SS. Patres ita explicant, vt præscientiam bonorum operum agnoscant directricem non solùm executionis, sed etiam ipsius prædestinationis, seu electionis. *Non*

 ante

antè prædestinauit quàm præsciuit, quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit. Ambr: lib: 5. cap: 3. de fide. Constat id præterea 2. Timoth: 2. *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem:* ex quo deducitur, quòd ipsa prædestinatio in vas honoris, vel contumeliæ pendeat à præuisa munditie, tanquã conditione. Vnde etiam cùm 2. Petri 1. nos Apostolus hortatur, *vt per bona opera certam vocationem faciamus,* satis manifestè indicat, in Deo non esse voluntatem efficacem gloriæ nostræ, quæ non pendeat à conditione nostrorum operum. Nam comminatio his locis contenta implicitè, vana esset, supposito, quòd præcedat efficax decretum gloriæ merita nostra absolutè præuisa. Quòd attinet S. Augustinum, apertè loquitur pro hac sententia lib: 1. ad Simpl. qu: 2. *Non electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio, nemo enim eligitur, nisi distans ab eo, quod reijcitur. Vnde quod dicitur, qui elegit nos ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.*

24ta. De Deo Trino.

Fidei & Professionis eius, quâ Christiani censemur, caput est, vnius summi Dei in essentia vnitas, & in personis differentia. *Hoc Ecclesia intelligit: hoc synagoga non credit: hoc Philosophia non sapit: vnũ ex vno, & totũ à toto Deũ, & Filiũ, neq; per natiuitatẽ Patri ademisse, quod totus est, neq; per hoc ipsum totũ non secũ nascẽdo tenuisse* S. Hilar: lib: 8. de Trinit. *Nemo igitur dubitauerit, Filiũ dicere, & radicis fruticẽ, & fontis fluuium, & solis radium: quia omnis origo parens est, & omne, quod ex origine profertur, progenies est, multò magis sermo Dei, qui etiam propriè nomen Filij accepit: Nec frutex tamen à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à sole discernitur; sicut nec à Deo sermo. Igitur secundùm horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum & sermonem eius, Patrem & Filium ipsius, Nam & radix, & frutex duæ res sunt, sed coniunctæ. Et fons, & flumen duæ species sunt, sed indiuisæ: Et sol, & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius, necesse est, de quo prodit, non ideò tamen est separatum. Secundus autem vbi est, duo sunt. Et tertius vbi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice. Et tertius à fonte, riuus ex flumine, & tertius à sole apex ex radio. Nihil tamen à Matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit:* Ita Trinitas per consertos, & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchiæ nihil obstrepit, & œconomiæ statum protegit. Tertul: lib: contra Praxeam aduersùs Patripassianos cap: 4.

25ta. De Processione Diuinarum Personarum.

Punctum 1mum. Duæ sunt Processiones in Diuinis; vna quâ Filius procedit

cedit à Patre. *Ego ex Deo processi*, Ioan: 8. *Effulsi ex eius substantia, processione illa, quæ est ad existentiam, & vt intelligar in propria persona.* Cyrill: lib: 11. in Ioan: cap: 2. *Communis omnibus Christianis inest hæc notio, Filium lumen esse genitum, qui ex ingenito lumine coruscauit* Basil: lib: 2. contra Eunom. *Credidistis, quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre & veni in mundum.* Et post: *In hoc credimus quia à Deo existi.* Ioan 16. *Non aliunde prodijt: sed ex ipsa nobis substantia Dei & Patris effulsit Filius*. 1 Cyrill. dial: 3. *In Patris existens substantia: & ex ipsa refulgens, vt è sole splendor.* Cyrill: lib: 1. in Ioan. Altera Processio est, quâ Spiritus S. procedit à Patre & Filio. *Qui à Patre Filioque procedit.* Sym: Nicæn. *Substantialiter ex ambobus est* Cyrill: supra cit. *Itaque Spiritum quidem ex Deo esse disertè prædicauit Apostolus dicens, Spiritum qui ex Deo est accepimus, & per Filium prodijsse perspicuum fecit, Filij Spiritum nominans ipsum, sicut & Dei.* Basil: pag: 121. *Iam verò cùm Christus, ex Patre credatur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo siue ambobus: vt Christus his verbis asserit. Qui à Patre procedit:* Ioan: 15. Et 1. *Hic de meo accipiet.* Ioan: 16. Epiphan: in Ancorato. n. 67. *Spiritus Sanctus semper est, non genitus, non creatus, non Frater, non patruus, non nepos, sed ex eadem substantia Patris & Filij Spiritus sanctus, Spiritus enim est Deus.* Epiphan: ibid: n. 7. *Non alienus est à Patre & Filio: sed ex eadem substantia, ex eadem diuinitate, ex Patre & Filio, cum Patre & Filio subsistens semper Spiritus Sanctus.* Idem hæresi 62. n. 4. *Cùm ergo Spiritus Sanctus in nobis existens conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre & Filio: perspicuum est diuinæ ipsum esse substantiæ, substantialiter in ipsa & ex ipsa procedentem: quemadmodum vtique flatus ille, qui ex ore hominis excurrit.* Cyrill lib: 34. Thesau.

Punctum 2dum. Vtraque Processio est immanens. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Ioan: 14. Filius enim, & Spiritus S. habent eandem numero naturam cum Patre. Vnde sicut creaturæ à Deo procedunt ad extra, quia accipiunt ab eo naturã distinctã à natura Diuina, ita Filius, & Spiritus S. procedũt à Patre ad intra, quia accipiunt ab eo naturam eandem, quam habet Pater. Porrò rectè Processio in Diuinis definitur esse, *exitus quidam realis vnius Personæ diuinæ ab alia, quatenùs, & personalitatem & essentiam habet, non à se, sed ab alia persona, vt origine. Nam & Filius exiuit à Patre; vt ait scriptura, & Spiritus ex Deo, & Patre procedit. Sed quẽadmodũ sine principio esse, cùm sit Patris solius, & Filio, & Spiritui cõuenire non potest Sic è cõtrario, à principio esse, quod est propriũ Filij & Spiritus, in Patre cõsiderari natura non patitur* Greg: Nyss. hom: 3. in Orationẽ Dñicam.

26ta. De reali distinctione trium Personarum Diuinarum.

Punctum 1mum. Sabellianorum, Praxeanorum, Hermogenianorum, Pa

tripaſſianorũ hæreſis damnata eſt, vnam tãtùm eſſe Perſonã diuinam, quæ propter diuerſos effectus habet diuerſa nomina. Eadem ſcilicet Perſona [dicebant) vocatur Pater, quatenùs eſt author omniũ creaturarũ: Filius, quatenùs aſſumpſit naturã humanã ex Virgine; Spiritus S. quatenùs nos ſanctificat per ſuam gratiam. Contra hanc hæreſim Fides Catholica docet in Diuinis eſſe tres Perſonas realiter diſtinctas. Quod quidẽ in veteri teſtamẽto obſcurè, in nouo clarè eſt inſinuatũ. *Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtrã* Gen: 1. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis eſt.* Gen: 3. *Apparuerunt ei tres viri ſtantes.* Gen: 18. *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus*, Pſalm: 66. Vbi ſecundo loco iungitur *pronomen Noſter*, quia ſola ſecunda Perſona futura erat noſtra per aſſumptionem naturæ humanæ. Item Iſaiæ 6. Ter dicitur Sanctus propter Trinitatem perſonarum, ſemel Dominus Deus propter vnitatem eſſentiæ, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* At in nouo teſtamento clariora ſunt teſtimonia. *Baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti.* Matth: 28. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ſpiritum veritatis.* Ioan: 14. *Gratia Domini noſtri* IESU *Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritûs ſancti.* 2. Cor: 13. *Habemus acceſſum ad Patrem per Filium in vno Spiritu.* Eph: 2. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S.* 1. Ioan: 5.

Punctum 2dum. Vnicum principium diſtinguendi realiter perſonas diuinas eſt oppoſitio relationum: vnde Relationis diſparatæ, & originum diuerſitas non ſufficit ad diſtinctionem realem Perſonarum. *Perſonæ diuinæ hoc ſolo numerum inſinuant, quòd adinuicem ſunt, non quòd ad ſe ſunt.* Aug: tract: 39. in Ioan. Idem 7. de Trinit. cap: 1. inquit. *Ea dicuntur propriè in Trinitate diſtinctè ad ſingulas perſonas pertinentia, quæ relatiuè dicuntur adinuicem.* Quare, quæ non ad inuicem dicuntur, diſtinctè minimè dicuntur, etſi relatiuè dicantur. *Mutua enim relationis differentia, differentem, & ipſorum* (ſuppoſitorum) *appellatione in facit*: Nazian: orat: 32. *Spiritus S non ob aliud alia exiſtit perſona à Patre, niſi quia ex ipſo procedendo eſſe accepit, igitur cùm & à Filio alia ſit perſona idem Spiritus, aut illi dat eſſe, aut accipit ab illo, non autem dat, vt palàm eſt, ergò accipit.* lib: 5, cap: 12. Hugo Etherianus. Rectè quocirca à Theologis vulgatum illud axioma receptum eſt. *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Quod quidem axioma meritò tribuitur S. Anſelmo, in epiſt: de Proceſſ: Spiritus ſancti cap: 2. Vbi ſic ait. *Vnitas in diuinis non amittit ſuam conſequentiam], vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio.* Quid eſt autem aliud, vnitatem in diuinis non amittere ſuam conſequentiam, quàm efficere formaliter, vt omnia ſint vnum. Nam vnitatis conſequentia ſeu effectus eſt, vnum eſſe id, quod vnitas afficit. Quare ſi S. Spiritus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo realiter. *Ablatâ enim ratione principij, & principiati, nullum eſt diſcrimen in diuinis.* Greg.

Nyſſ:

Nyss: lib: 1. S. Anselmus dum dicit per hoc fore diuersos, quia hic nascendo, ille procedendo origineretur, loquitur de diuersitate quasi causali non formali. Nam ipse agnoscit oppositionem relationum esse proximam formam distinguendi, diuersitatem verò originum esse causaliter rationem eius distinctionis, quatenùs origo per natiuitatem adfert essentialiter secum vim originandi Spiritum Sanctum.

27tima. De Principiis Processionum Diuinarum.

Punctum 1mum. Aliud est Principium Processionis Quod, aliud Quo. Rursùs aliud est Principium Quo communicationis, aliud Principium Quo productionis. Tandem aliud est Principium Quo adæquatum, & totale generationis diuinæ, aut spirationis, aliud inadæquatum. Porrò Natura Diuina vel Intellectio non potest esse Principium Productionis, quatenùs productio est. Quia inter principium & principiatum essentialiter requiritur distinctio realis. Nihil enim est Principium respectu suiipsius præsertim si sit actu principians, seu, producens, & à fortiori adhuc, si sit ipsa productio, vti in diuinis accidit Ergo Natura, vel intellectio, aut aliquid essentiale non potest esse Principium Quo productionis: siquidem non est distinctum à Principiato. Quia Principiatum per identitatem habet naturam, & omnia essentialia. Quod attinet Principium Quod, hoc nonnisi denominatiuè, & ratione virtutis productiuæ influit, vnde etiam idem esse potest, in eo, quod denominatur productum, dummodò virtus ipsa sit distincta.

Punctum 2dum. Vnde constat, quòd sola relatio diuina est Principium Quo productionis, vt productio est. Quia hæc est realiter distincta à principiato. Quare ait D. Athanasius dial. 1. de Trinit. *Hypostasi gignit, & mandato condit.* Atqui Hypostasis est relatio. Ergo. Item D. Ambr: 4. de Fide. cap: 4. *Generatio paternæ proprietatis est, non essentiæ.*

Punctum 3tium. Generatio diuina (idem ajo de spiratione) adæquatè compleri nequit per solam productionem. quatenus præcisè productio est. Quia Terminus genitus, quatenùs genitus, non solùm debet habere esse distinctum, sed etiam esse idem cum natura generantis: Atqui productio, quà talis tantùm respicit, esse distinctum; Ergo debet esse aliquid aliud ratione cuius habeat identitatem naturæ generantis, terminus genitus.

Punctum 4tum. Quare Principium Quo communicationis est essentia diuina, siue essentialis Intellectio, sicut Paternitas est Principium Quo productionis. Quia sicut virtus, quâ producitur distinctum, non potest esse eadem

cum distincto; ita viceuersa virtus quâ communicatur idem, non potest esse distincta, sed eadem cum communicato. Necesse quidem est, distinctum esse quod communicat, ab eo, cui communicatur: nihil enim sibimet se communicat, at verò quo communicat, seu quo est potens communicare, nequit esse, aliud quàm id ipsum, quod communicatur, in supposito scilicet communicante, & eo cui communicatur, vnum idemque.

Punctum 5tum. Generationis Diuinæ Principium Quo adæquatum & totale, est Natura, seu essentia, quatenùs intellectio est & Paternitas. Essentia, quatenùs Intellectio est, est principium Quo communicationis: Paternitas verò est principium Quo productionis. Nam generatio diuina, vt diuina est, includit communicationem naturæ, & productionem filiationis. Ergo generatio diuina requirit principia formalia productionis & communicationis, scilicet relationem Paternitatis & essentiam vt intelligentem. Hæc omnia accommodāda sunt Processioni actiuæ Spiritus sancti: Nam relatio spirationis actiuæ est principium Quo productionis, essentia verò quatenùs volitio seu amor est, est principium Quo communicationis. Vtrumque verò principium tàm communicationis, quàm productionis constituit vnum principium adæquatum Processionis Spiritus sancti.

28ua. De Processione Verbi.

Punctum 1mum. Verbi Processio est generatio. *Ex vtero ante Luciferū genui te.* Psal: 109. quod SS. Athanas: Cyrill: Aug: explicāt deProcessioneVerbi, nam licet in sensu literali Deus non habeat vterum, tàm vere tamen Verbum generatur ex substantia Patris, quàm verè filij geniti procedunt ex vtero. Sicuti cùm creatura dicitur opus manuum Dei, non significatur Deus habere manus, sed creaturam tàm verè esse opus Dei, quàm verè est opus figuli vas eius manibus factum: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioan: 3. Item Ioan: 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.*

Punctum 2dum. Sola Processio Verbi, & non Spiritus S. est generatio. *Spiritus S non dicitur genitus, ne duo in Trinitate filij suspicentur; ideò non prædicatur ingenitus, ne duo Patres in ipsa Trinitate credantur.* Isidorus Hispalensis in sept. Originum. *Immoderata esset Diuina generatio, si genitus filius nepotem gigneret Patri, quia & ipse nepos nisi auo suo pronepotem gigneret, impotens diceretur.* Aug: tom: 6. lib: 3. contra Maximum cap: 12. *Proprium igitur est Patris, vt sit ingenitus: Filij; quòd genitus; Spiritûs sancti, quòd procedit.* Greg: Nazianz: orat. 23. *Spiritus sanctus non dicitur natus esse, sed procedere, quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum vtique filius diceretur: quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorū, nisi Patris & Matris. Absit autem, vt inter*

Deum Patrem, & Deum Filium tace quid suspicemur : quia nec Filius hominum simul ex Matre & Patre procedit, sed cùm in Matrē procedit ex Patre, non tunc procedit ex Matre, & cùm in hanc lucem procedit ex Matre, non tunc procedit à Patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in filium , & de filio procedit ad sanctificandā creaturam : sed simul de vtroque procedit &c. Aug: 15. de Trinit. Similiter Hugo Victor: In summa Sentent. tract. 1. cap: 7. Non est Spiritus sanctus genitus, quia cùm sit à Patre & Filio, si genitus esset, iam haberet duos Patres, & sic de Trinitate esset confusio, in qua, & duo Patres, & duo filij essent.

Punctum 3tium. Sola Verbi Processio est generatio, quia est origo viventis à viuente, vt à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Procedit verò Verbum in similitudinem naturæ vi suæ processionis, & non Spiritus sanctus, quia Verbum intelligentiæ, quæ in Deo est, siue mentis actione producitur: Spiritus verò sanctus ex amore & voluntate procedit. Proprium autem est hoc, & naturale menti, similem, vt eius, quod cognoscit, notionem efficiat, quod Verbum mentis appellari solet, quæ est imago similitudoque rei perceptæ. Cùm enim amore, ac beneuolentia in rem quampiam ferimur, iste ipse voluntatis impetus, non hoc habet naturâ suâ vt amatæ ac cupitæ rei sit similis, aut imago, sed vt pondus sit quoddā inclinatioq; voluntatis in id, quod amatur, eam attrahēs, extra se quodammodo profundens. Hoc quia peculiare est personæ tertiæ, vt eo modo procedat, idcircò non est similitudo, aut imago eius, à quo procedit. Vnde Nicœna Synodus. *Verbum Patris appellat proprium, & naturalem substantiæ fœtum, ac prolem.* pag. 710. Præclarè Basilius hom: in Ioan. *Cur Verbum dicitur? vt ostendatur ex mente processisse. Cur Verbum? Quoniam imago est genitoris, totum in seipso genitorem exprimens.* Item Aug. tract. 48. in Ioan. *Quia Verbum, ideo Filius.* Idem tract. in psalm: 44. docet *dicere & eructare, idem esse ac generare. Eructauit cor meum Verbum bonum, generationem filij significat.* Verbum igitur imago est, & similitudo rei cognitæ. In creatis quidem rebus accidens est, & sola intentionalis expressio. In diuinitate verò, quæ perfectissimam imaginem exigit (*quoniam perfecta natiuitas perfectam imaginem præstat.* Hilar: 7. de Trinit.) intima, & substantialis est ista similitudo nullâ re à prototypo discrepans, præterquā in originis habitudine. Vnde ad Coloss: 1. dicitur. *Imago Dei inuisibilis.* Ad Hæbr: 1. *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Sap: 5. *Imago bonitatis eius.* Est igitur eo solo verè dicta generatio, Verbi Diuini productio, quòd ex vi suâ, propriâque notione hoc habet, vt imago sit, expressaque similitudo producentis. *Quòd imago est, eò proficit, vt Deum Patrem vnigeniti Dei significet natiuitas, significat autem, vt forma, & imago inuisibilis Dei* Hilar: lib: 7. de Trinit. At verò Spiritus S. ex vi conditioneque processionis suæ, non hoc obtinet, vt imago sit, & expressio substantiæ eius, à quo procedit, quia volunta-

tis a-

tis amorisque propensio non amatæ rei similitudo est, sed copulatio, ac vinculum, amantem cum eo, quod amatur, colligans ac deuinciens. Idem tamen quia à Deo oritur, & in Deo est, necessariò est Deus, *non formali necessitate, sed materiali.*

29ma. De Processione Spiritûs Sancti.

Punctum 1mum. Græci, & non pauci Latini Patres Spiritum S. docent à Filio procedere, ex eo quòd halitus, siue flatus appellatur, qui ab ore Patris, adeoque à Filio proficiscitur. Huius significationem dedisse Christum asserũt, quando in discipulos insufflauit. Aug: lib: 3. contra Max. cap: 14. Quare S. Greg: Nissenus in oratione Catechetica, postquam cap: 1. gentilibus suadet Verbi Diuini, existẽtiã, quòd Deus sermonis seu Verbi, ac rationis expers esse non possit, 2dò capite Spiritum S. eodem sermonis humani exemplo demonstrat. *Quia sermo noster sine àëre ac spiratione non potest effici, adeòque nec diuinus sine sui generis spiratione.* Ita quoq; Athanasius Sinaita sermone dogmatico. *Verbum autem, cùm sit Filius, secum unà Spiritum ostendit. Verbum enim sine spiritu non est, ut neque mens sine Verbo. Mentem verò dicimus Patrem Verbi, in qua Verbum est, quo cum & Spiritus S. Spiritus oris Dei nominatur, os enim Patris est Filius.* Et Cyrill. 2. Dialogorum. *Tanquam in figura respirationis, quæ per ora fit, propriam nobis existentiam demonstrat.*

Punctum 2dum. Spirãdi vis, vt & spiratio vna est in Patre & Filio: quare & ambo sunt vnũ. Principium Spiritus sancti Licet verò Spiritûs S. procedat à duabus personis, non tamen quatenùs duæ sunt, ac diuersæ, sed quatenùs in vna eademque proprietate conueniunt. Nam vt ambo eandem substantiam habent, eãdemque spirandi vim & proprietatem, tanquam vnum principium producunt Spiritum sanctum. Neque tamen confusio est personarum, cùm sua quæque proprietate constet: Ita tres personæ mundum hunc creârunt, neque tamen, aut non sunt tres Personæ inuicem distinctæ, aut sunt tres causæ, vel tria principia. *Quia scilicet & suam singulæ proprietatem interim retinent, & non eâ ratione, quâ mutuó differunt, res creatas producunt, sed quatenùs in eandem essentiã & vim procreatricem conueniunt, vnumque sunt. Sic quoque Pater & Filius non eatenus dant Spiritui sancto originem, quâ inter se distinguuntur, hoc est, vt Pater sunt & Filius, sed vt vnam, eandemque spirandi vim, in commune possident. Itaque quod in illa processione agere dicitur est duplex hypostasis seu persona, omnis enim notio tribuitur hypostasi seu supposito, id autem quo producunt, seu principium Quo est communis illa proprietas, siue essentia, vt ista proprietate prædita est in ambobus spirantibus.* Ioan: Theol. in Flor: Syn. Sess: 9. & 10.

Punctum

Fatendum est, Patrem & Filium, principium esse Spiritus Sancti, non duo Principia. Sed sicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus, creator, & vnus Dominus, sic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum principium, ad creaturam verò, Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnum principium, sicut vnus creator & vnus Dominus. S. Aug. lib 5. de Trinit. c. 14.

Punctum 3tium. Spiritus sanctus ex vi formali suæ processionis per se petit procedere à duabus personis. Non enim est per accidens fæcunditati spiratiuæ esse in duobus his suppositis: tùm quia vbi hæc supposita non sunt, neque vis illa est spirandi, quod patet in Spiritu sancto, in quo non est fæcunditas spiratiua: tum quia sicut non est per accidens distingui à Filio, ita non est per accidens esse ab eodem: tum quia ex conceptu fæcunditatis spiratiuæ requiruntur duæ personæ, ergò cùm ex vi processionis Spiritûs sancti requiratur fæcunditas spiratiua, Spiritus Sanctus vi suæ processionis requirit quoque duas personas. Vnde Patres Spiritum sanctum docuerunt esse Patris & Filij nexum mutuum, amorem & charitatem. *Spiritus ergò sanctus commune aliquid est Patris & Filij; at ipsa communio consubstantialis, & coæterna.* Aug. tract: 105. in Ioan, *Qui nec Patris tantùm, nec Filij tantùm: sed simul Patris & Filij Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab vtrisque processisse monstratur, quia charitas seu sanctitas amborum esse cognoscitur.* Toletanum Concil. c. 1. *Quapropter Spiritus sanctus in eadem vnitate substantiæ, & æqualitate consistit; siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas, siue ideò vnitas, quia charitas, quia sanctitas; manifestum est, quòd non aliquis duorum est, sed quo vterque coniungitur, quo, genitus à gignente diligatur, generatoremque suum diligat.* Aug: 6. de Trinit. cap: 5. Addit S. Anselmus Monolog. cap: 49. amorem illum esse, quo & seipsos & alterum amant Pater & Filius. Cur autem ab ambobus re ipsâ licet distinctis vnus duntaxat amor existat, causam affert. cap: 61. *Quia non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & Filius, sed ex eo, in quo vnum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt: alia enim est relatio Patris, alia Filij, sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.*

Punctum 4tum. Ita charitas, vel amor, aut dilectio Patris & Filij est Spiritus sanctus, vt non ipsa sit essentialis charitas qua inuicem diligunt. Alioquin Spiritus Sanctus ipsamet diuinitas, & essentia foret: quoniam *Deus charitas est.* 1. Ioan: 4. Pro cuius doctrinæ intelligentia aduertendum est, vti charitatem, sic etiam vnitatem, & communionem dupliciter vsurpari, absolutè & relatiuè. Priori modo est ipsa diuinitas, in qua vnum sunt, non duæ illæ tamtummodò, sed omnes personæ, & in hoc sensu, Spiritus sanctus non est com-

munio Patris & Filij. At posteriori modo dici potest, quia terminus est mutuæ dilectionis, in quem ambo conspirant, & eatenus ab ambobus producitur, quâ vnum idemque sunt principium. Accedit, quòd in rebus creatis nulla coniunctio intercedit arctior, quàm voluntatum, mutuiq; amoris, quo vnum cor, & vna anima fieri dicuntur. Act: 4. Hinc S. Bernardus in Cantica appellat *Spiritum sanctum*, *osculum Patris & Filij*: vt potè qui Patris Filijque imperturbabilis pax sit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuidua vnitas. Vnde Patres personarum diuinarum vnitatem, tanquam ad fontem ad mutuam inter se concordiam & amorem, ipsumque adeò Spiritum sanctum reuocant. *Tanta ibi est charitas Spiritus Sancti, tanta pax vnitatis, vt de singulis cùm interrogatur, Deus tibi respondeatur: de Trinitate cùm interrogatur, Deus tibi respondeatur.* Ac paulò post. *Si charitas de tot animabus fecit animam vnam, & de tot cordibus fecit cor vnum; quanta est charitas inter Patrem & Filium? Major vtique potest esse, quàm inter illos homines, quibus erat cor vnum Si ergo multorum fratrum cor erat vnum propter charitatem: & multorum fratrum anima vna propter charitatem; Deus Pater, & Deus Filius, dicturus es, quia duo sunt? Si duo Dij sunt, non est summa charitas. Si enim hîc tanta charitas est, vt animam tuam, & animam amici tui vnam animam faciat, quomodo ibi non est vnus Deus Pater, & Filius.* Aug: tract: 18. & 39. Ita quoque Hilarius l. 8. de Trinit. & Richar. 5. de Trinit. qui personarum in Deo multiplicationem demonstrat, ex charitate & dilectionis natura.

Propugnatæ ab eodem qui supra. In Collegio Varsauiensi Societatis JESV.

Præside. R. P. MATINO KRETZMER Societatis JESV, SS. Theologiæ Doctore, eiusdemq; & SS. Canonum Professore Ordinario ac Superiorum Scholarum PRÆFECTO.

Anno Domini 1683. *Mense* *Die*

THEO-

THEOLOGICÆ SS. PATRVM
E T
DOCTORVM ECCLESIÆ,
ASSERTIONES.

De Angelis,

Propugnante & Præside ijsdem, quibus supra.

1ma De Existentia & Incorporeitate Angelorum.

Punctum 1mum. *Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus. Spiritus autem Angeli sunt, & cùm Spiritus sunt non sunt Angeli, cùm verò mittuntur fiunt Angeli. Angelus enim officij nomen est non naturæ. Aug. Psal.* 103. Neq; modô existentiam Angelorum Sacræ literæ testantur, sed ipsi met non obscuris indicijs eam produnt in arreptitijs, qui sæpe ignotis linguis loquuntur, & longè dissita manifestant. Quin & Necromantici illorum ope effectus miros & qui miracula videantur, vt Magi Pharaonis, serpentes, ranas, efficiunt. Pun. 2dum. *Omnis natura incorporea Spiritus in scripturis appellatur. Vnde non tantùm Patri & Filio & Spiritui Sancto, sed omni rationali naturæ conuenit. Aug. ep.* 124. Et quomodo Spiritus sit corporeus? *Spiritus enim carnem & ossa non habet.* Et DEVS quia *Spiritus est*, incorporeus est: facitque Angelos suos Spiritus. Quin & Custodes hominum *omnes sunt administratorij Spiritus.* Rectè quocirca de apostatis Spiritibus interroganti, corporeos an incorporeos esse suspicaretur, Respondit D. Gregorius. *Quis sanus Sapiens, esse Spiritus corporeos dixerit? In* 4 *dial. cap.* 29. Certè *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed &c. contra spiritualia nequitiæ Eph.* 6. Oppositio hæc carnem inter & Spiritualia, remouet ab Angelis rationem corporis. Vnde Luc. 8. Legio Dæmoniorum simul in vno corpore humano castra metari potuit, quia corporis fuit expers. Neq; Angelos ad corpora atomica & subtilia rectè quis redegerit, in quibus nimirum non possent habere tantam potentiam quantam defactò habent, cùm *non sit super terram potestas, quæ comparetur ei qui factus est vt nullum timeret Iob.* 14. Porrò Virtus corporea si in minima quantitate esset, magna esse non posset.

2da De Immortalitate Angelorum.

Sicut animam rationalem ita Angelum nemo occidere potest. Solus tamen Deus existendi principio essentialiter carens, immortalis est essentialiter. *Quare Angelorum natura quoniam existendi principium habet, posset vtiq; finem etiam sortiri, naturales enim prærogatiuæ habentibus quidem validæ sunt non autem earum opifici Deo. Quemadmodùm ignis vrendi vim habet, sed non Deo, & Angelus immortalis est quidem, sed non Deo Cyril. Alex: in Thes. lib.* 20.

3tia De differentia, & Numero Angelorum.

Punctum 1mum. *Aliud est Principatuum genus, aliud Potestatum eò quòd non vnus ordo, nec vnum veluti corpus ac tribus immortalium ac veluti familia sit, sed genera & tribus & differentiæ sint, neque Cherubim à Natura sua desciscunt, vt in Angelorum speciem transformentur. Epiph. hær.* 64. Porrò perfectior Substantialis vis intelligendi, rectè hanc diuersitatem suadet, *In omni siquidem rationali substantia cognitio, quæ inest pro cuiusque generis ratione differt, eiq; proportione respondet: Adeò vt alia credenda sit inesse Angelis, alia Archangelis, Tum hâc ipsâ maior in Superioribus virtutibus. Commensurata est & hominis notitia quæ videlicet minor est ijs, quas diximus* Cyril. lib. 31. Thes. Sunt & multi specie conuenientes, cùm vniuersi pulchritudinem vti in Mundo visibili ita multò magis in inuisibili exornet partim specierum diuersitas, partim singularium specifica conuenientia. Quæ in rationalibus naturis ad mutuæ familiaritatis commercium plurimùm conducit. Punctum 2dum. *Nunquid est numerus Militum eius?* Iob. 25. Humanitus supputari non potest, cùm *Supernarum mentium exercitus excedat Infirmam & constrictam Nostrorum materialium Numerorum commensurationem. Dion.* c. 14 de Cælesti hierar. Et verò decebat è mente Angelici Doctoris carentiam molis quantitatiuæ compensari quantitate discreta, secundùm proportionem excellentiæ naturalis. Quare D. Ambr.ᵒ à Numero Angelorum nonaginta nouem partibus superari Numerum hominum opinatur. *Diues Pater cuius nos centesima portio sumus, habet Angelorum, Archangelorumque, aliorumque innumerabiles greges.* Lib. 10. in Luc. ad cap. 15.

4ta De Præsentia locali Angelorum.

Non sunt formaliter in loco per operationem transeuntem. Quid enim Angeli in Cælo Empyreo immobili existentes operentur operatione transeunte: Quidue Dæmones in inferno, ad patiendum deputati? Si occulta est operatio, quâ reuelatione innotuit? Si operatio est intellectûs & voluntatis, ergo Dæmon exercens intellectionem & volitionem circa Cælum Empyreum,

erit

erit formaliter & localiter in Cælo Empyreo. Aliud profectò est operari, aliud esse præsentem in loco; Cùm distantia à loco possit consistere cum operatione in eodem loco. Nunquid enim Solis substantia præsens est localiter in aëre ac terræ visceribus, in quibus operationes suas exercet? Aut Christus existens in cælo, præsens substantialiter esset in Eucharistia, si tantùm in illa exerceret aliquas operationes.

5ta De Coexistentia Angelorũ in eodem loco adæquato.

Dum Malus Angelus est in toto corpore hominis ad nocendum, non excluditur bonus ad Custodiendum: cùm illorum Substantia expers sit quantitatis, quæ radix est impenetrabilitatis. Vnde si *Cælestis Pater Christo plusquàm duodecim Legiones Angelorum exhibuisset ad defensionem.* Matt. 25. Singuli potuissent adæquatè Hierosolymitanum campum occupare. Ita quoque *multitudo militiæ Cælestis laudantium Deum* in Christi natiuitate Lucæ 2. Occupauit regionem aëris incumbentem campis Bethleemiticis, ipsosque campos, vt singuli totum spatium præsentiâ suâ implerent, Fuisse enim quasi coarctatos ad minima quæque loca distincta, ne se contingerent aut penetrarent arbitrarium & superstitiosum videtur.

6ta De Angelorum existentia in pluribus locis discretis.

Punctum 1mum. *Singulæ virtutum certo circumscriptæ loco esse creduntur. Etenim Angelus ille qui Act. 10. Cornelio adstitit, non erat eodem temporo apud Philippum. Neque Luc. 1. qui ex altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore, propriam in Cælo stationem obibat.* Basil. de Spiritu Sanct cap, 22.

Punctum 2dum. Non existunt igitur simul in discontinuis spatijs, *quoniam cùm in Cælo sunt non sunt in terra, cùm in terram à Deo mittuntur non manent in Cælo. Et Angelus qui aderat Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse in alijs partibus mundi constitutus.* Did. lib. 1 de Spiritu Sancto. Et certè, si naturaliter posset simul existere in discontinuis locis, Dæmones dum alio quandoque migrant [sicut pro funere Lutheri multa millia Dæmonum conuenisse ex obsessorum corporibus testantur historici] non desererent interim corpora obsessorum. Neque miraculum foret, Christum existere in pluribus distinctis hostijs, si Angelus naturaliter posset simul esse in pluribus discretis locis. Quare quoad hoc non est maioris Virtutis, quàm anima rationalis, quæ etiam minima corpora discontiuua non potest simul informare. Non tamen Angelus necessariò, in loco adæquato est; sed potest esse in minori & minori in infinitum, imò in puncto.

7ma De Motu locali Angelorum.

Punctum 1mum. Mirâ Celeritate mouentur. *Omnis Spiritus ales. Hoc & Angeli & Dæmones. Igitur momento vbique sunt, totus Orbis locus illis vnus est; quid vbi geratur, tàm facile sciunt quàm enuntiant. Velocitas Diuinitas creditur quia Substantia ignoratur. Ter. Apol. c. 22.* Punctum 2dum. Possunt verò moueri continuè successiuè & discretè: non tamen sine medio transire ad locum distantem. Possunt præterea corpora mouere & detinere. Potest vnus sine fatigatione globum tormento excussum vel lapidem molarem cadentem sistere, illis præsentem se statuendo & præsentiam localem fixè conseruando. Potest secum rapere eâ celeritate quâ se ipsum mouet. Punctum 3tium. Potest etiam inuitum alium Angelum inferiorem physicâ virtute detinere. Sicut Raphaël Asmodeum Tob. 8. & per mille annos Angelum ligauit Apocal. 20. Hinc Necromantici, qui Dæmones potentiores habent, aliorum Dæmonum machinationes euertunt.

8ua De Intellectu & Speciebus Angelorum.

Creati sunt pleni decore & sapientia. Ezech 28, Instructi sunt speciebus rerum naturalium momento suæ creationis. *Quare proprium illorum est nihil ignorare rerum particularium, quod scire illorum interest.* Maxim. lib. 3. de Chre. Et quomodo ignorarent? *Dum creaturæ corporales prius factæ sunt in mentibus Angelorum, secundùm creatam in illis sapientiam, quàm in seipsis, Neque enim sicut nos ad percipiendum sapientiam proficiebant Angeli.* Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 8 Non igitur abstraxerunt species à sensibilibus. *Sciunt vt pote quæ in terris fiunt, non ea quidem sensu haurientes quæ sunt sensibilia, sed propria ad Dei imaginem effectæ mentis virtute atque natura.* Dion de diu. nom. c. 7.

9na De futurorũ Liberorũ præcognitione & prædictione.

Punctum 1mum. Non præcnoscunt futura Libera. *Nam nulli alij quàm vni ac soli naturali Deo futura nosse conuenit* Cyr. lib. 4. in Ioan. *Quare idoneum testimonium diuinitatis veritas diuinationis est* Ter. apoc. c. 20. *Quod si aliquis dixerit multa ab idolis esse prædicta, hoc sciendum quòd semper mendacium iunxerint Veritati, & sic sententias temperârint, vt seu boni seu mali quid accidisset, vtrumque posset intelligi. Vt est illud Pyrrhi Regis Epirotarum. Ajo te Æacida Romanos vincere posse, & Crœsi, Crœsus transgressus Halym, maxima regna perdet* Hier. ad c. 41. Esa. Punctum 2dum. Plerumque è conjecturis quædam prædicunt; *Quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tanquam apud ignaros vendicant de futuris fieri notionem.* Athanas in vit. Ant. *Aliquando ijdem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt velut diuinando prædicunt*

eunt. Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17. *Sed falluntur, quia dum suas dispositiones prænuntiant, ex improuisò desuper aliquid jubetur quod eorum Consilia cuncta perturbet*. Aug. Lib. de diu. Dæm. c. 6. Punctum 3tium. Neque secreta cordis cognoscunt. *Ea quæ Cogitatione voluuntur, minime Diabolo cognita sunt. Hoc enim diuinæ duntaxat potentiæ quæ corda Nostra sigillatim finxit peculiare est. Ego Dominus scrutans cor*. *Hierem*. 17. *Verùm ex corporis motibus animi consilia venatur Isidor* Pelus Lib. 3. ep. 156. *Ipsas quoque cogitationes quas ingerit, vtrum susceptæ vel quomodo susceptæ sint, non per ipsius animæ interiorem motum, qui in abditis eius absconditur, sed ex motibus atque indicijs exterioris hominis deprehendit. Cass. Coll*. 7. c. 15. *Non igitur aliunde quàm ex mutis solùm indicijs gloriarì potuit Dæmonium oraculi Pythici & mutum intelligo & non loquentem exaudio*. Tert. lib. de Orat.

10ma De Locutione Angelorum,

Significauit Apostolus Angelos propriam habere linguam ita dicens. Si Linguis hominum loquar & Angelorum. Bal. hom. in c. 1. Ioan. Sed quales Angelorum Linguæ? *Angelorum Linguas dicit non quæ sensu sed quæ intelligentia percipiunt, per quas & vniuersorum Dominum laudant & inter se disserunt* Theod. in c. 13. ep. 1. ad Cor. Porrò *Angelis Lingua est Intellectiua: vis nimirum illa quâ sibi mutuò diuinarum rerum intellectum impertiunt. Theoph*.

11ma De Gratia Angelorum.

Punctum 1mum. Omnes sunt Creati in gratia. *Simul vt facti sunt, ei à quo facti sunt, amore, cùm quo facti sunt, adhæserunt*. Aug. lib. 12. de Ciu. c. 11. Punctum 2dum Acceperunt gratiam secundùm proportionem naturalium. *Cælorum virtutes non suapte natura Sanctæ sunt, sed iuxta proportionem quâ se inuicem superant à Spiritu habent sanctificationis mensuram Basil*. lib de Sp. S. c. 16.

12ma De Peccato & Damnatione Angelorum.

Punctum 1mum. Primum peccatum Angelorum fuit superbia. *Ipse est Rex super omnes filios Superbiæ* Iob 41. *Est inuentor auctorque peccati, primùm superbus, vt caderet, deinde inuidus* Leo serm. 4. de col. Punctum 2dum. Similis voluit esse Altissimo. Isa. 14. Non per naturam sed per moralem independentiam. *Quomodò Deus non habet à quo formetur, non habet à quo regatur, sic ipse voluit suà potestate vti, vt quomodo Deus nullo formante nullò regente viuat. Aug in Psal*. 70. Punctum 3tium. Sed *Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed in tartarum tradidit cruciandos* 2. Petri 2. *Vbi veris quantumuis miris modis Spiritus incorporei pœnâ Corporalis ignis affliguntur*. Aug. Lib. 12. de Ciu. c. 20. Non tamen per solam alligationem ad ignem sed per productionem Qualitatis doloriferæ.

THEO-

THEOLOGICÆ SS. PATRVM
ET
DOCTORVM ECCLESIÆ, ASSERTIONES,
DE BEATITVDINE.

Propugnante & Præside ijsdem, quibus supra.

1ma De Appetitu Beatitudinis & perpetuitate eiusdem.

Punctum 1mum. Beatitudinem omnes appetunt. *Beatum enim esse tàm magnum bonum est, vt hoc & boni velint & mali: nec mirum est, quòd boni propterea sunt boni: sed illud est mirum, quòd etiam mali propterea sint mali, vt sint Beati. Nam quisquis vitijs deditus est, in malo Beatitudtnem quærit.* S. Aug. in Psal. 118. serm. 1. **Punctum 2dum. Ad Beatitudinem requiritur perpetuitas.** Nam timor finis, & vltimæ lineæ rerum mortis, anxietatem animo corporique inijcit. Vnde *Beatissima Beatorum vita esse non poterit, nisi fuerit de sua æternitate certissima.* S. Aug. lib. 10. de Ciuit. c. 3. *Quid enim est aliud beatè viuere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? æternum est enim, de quo solo rectè fiditur, quod amanti auferri non potest &c. Omnium enim rerum præstantissimum est, quod æternum est, & propterea id habere non possumus nisi ea re, quâ præstantiores sumus, id est mente.* S. Aug. in lib. 83. Quæstionũ quæstione 35. Pun. 2dum. Quare in hac mortali vita non datur perfecta Beatitudo. *Quid enim est Beatitudo, nisi bonorũ omnium plenitudo, atque perfectio.* Richar. Victorinus lib. 2. de Trinitate c. 16. At verò in hac vita, *homo breui viuens tempore multis repletur miserijs.* Iob 14. *Ecce vniuersa, vanitas & afflictio spiritûs.* Eccles. 1. Quæ omninò Beatitudini, quæ est, *Status omnium bonorum aggregatione perfectus* (Boëtius Phil. & Martyr) repugnant.

2da De Obiectiua Beatitudine hominis.

Punctum 1mum. Beatitudo Obiectiua Angelorum & hominum est Deus. *Vt vita carnis anima est, ita Beata vita hominis Deus est.* Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 26. *Qui vicerit possidebit hæc; Et ero illi Deus, & ille erit mihi Filius.* Apoc. 21. *Ero merces tua magna nimis.* Gen: cap. 5. **Punctum 2dum. Est autem Deus Beatitudo Obiectiua, & vltimus finis hominis.** Tum quia Deus à seipso

bonus

boᴉus eſt, cætera verò bona, non à ſe, ſed à Deo bona ſunt. Vnde *pro vltimo fine noſtro, illud bonum conſtituendum eſt, è quo omnia ſuſpenſa ſunt, ipſum autem è nullo. Ita enim vera eſt illa boni definitio, vt ſit id, quod omnia appetunt.* Plotinus lib. 7. c. 2. *Ille qui non alio ſed ſeipſo bono beatus eſt, miſer non poteſt eſſe: quia ſe non poteſt amittere. Ea verò quæ fecit, bona quidem ſunt, quòd ab illo: verùm tamen mutabilia, quòd non de illo, ſed de nihilo facta ſunt.* S. Aug. lib. 11. de Ciuit, cap. 10. *Omnia bona ſed facta bona, & à* Deo *bona, non à ſe; Qui fecit hæc, ſuper omnia bonus eſt, quia nullus eum fecit bonus, ſed à ſeipſo bonus eſt.* Aug. ſerm, 3. de diuerſis. Igitur ſolus Deus vera obiectiua Beatitudo hominis eſſe poteſt. Tum quia Deus ſummum & incommutabile bonum eſt. *Summum Bonum Deus eſt, quia incommutabilis eſt & corrumpi omninò non poteſt. Creatura verò bonum, ſed non ſummum eſt, quia mutabilis eſt.* Iſidorus Hiſpal. lib. 1. de ſummo bono cap. 1. *Si enim eſt finis vllus agendarum rerum, quem propter ipſum, & propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus (in infinitum enim ita fieret progreſſus, vanuſque & inanis appetitus noſter eſſet) perſpicuum eſt eum ſummum Bonum atque optimum futurum.* Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 1. *Ad Bonum conuertunt ſe omnia, velut ad congruentem ſibi finem.* Dionyſius cap. 4. de Diu. nom. *Omnium enim expetendorum ſumma atque Cauſa Bonum eſt. Quod enim neque re neque ſimilitudine vllum in ſe retinet bonum, id expeti nullo modo poteſt.* Boëtius lib. 3. de conſol. Proſâ 10. Cùm ergò creata Bona, ſcilicet honores, fortunæ, & voluptates corporis, non ſint propter ſe vltimatè expetibilia, ſed ad primum & Originale bonum ordinentur: non illa, ſed hoc neceſſe eſt, eſſe finem noſtrum & Beatitudinem æternam. Tum quia Deus ſolus Bonus eſt. Nam *nemo bonus niſi ſolus Deus.* Luc. 18. *Bonus naturâ Deus ſolus. Qui enim quod eſt ſine initio habet, non inſtitutione habet illud, ſed naturâ.* Tertull. 2do. contra Marc. Tum quia Deo nihil melius excogitari poteſt. Igitur ille vltimus finis ſit neceſſe eſt. Nam *Deum rerum omnium Principem bonum eſſe, communis humanorum conceptio probat animorum. Cùm enim Deo nihil melius excogitari queat, id, quo melius nihil eſt, vltimum noſtrum finem eſſe quis dubitat?* Boëtius Proſâ 10. lib. 3. de conſol. *Nec quiſquam inueniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt.* Tùm quia Deus ſubſtantiuum bonum, & non ex accidenti bonum eſt: quare ille quoque ſubſtantialis noſter finis vltimus ſit oportet. *Eiuſmodi eſt ergò Deus, qui eo, quòd ipſum ſummum Bonum, ac ſummum eſt, tanquam ſubſtantiuum Bonum, in omnia quæ ſunt, bonitatem diffundit.* Dionyſius c. 4. de Diu. nom. *Neque enim Deus bonum habet ex accidenti velut qualitatem aliquam, ſicut nos virtutes habemus, ſed ipſa eſt boni ſubſtantia.* Max. in C. citatum Dionyſij. *Proinde ſi ille bonus, & ſummè bonus, & de ſe ſibi bonus, & nullo alio bono bonus, ergo & ipſe noſtrum ſummum Bonum eſt.* Auguſt. in Pſalm. 70. Tum quia nulli à Deo recedenti, benè eſt: proinde

Deo, ceu summo Bono inseparabiliter adhærere, omninò conuenit. *Quantum & quale Bonum sit Deus, etiam ex hoc euidenter ostenditur, quòd nulli ab eo recedenti bene est.* Prosper sent. 289. *Recedendo enim à Deo bono, quid eris nisi malus?* Aug. in Psalm. 70. *Nam Beatitudinis Causa est adhærere Deo, miseriæ uerò causa ex contrario est intelligenda, quod est non adhærere Deo,. Quamobrem si cùm quæritur, quare illi Beati sint; rectè respondetur, quia adhærent Deo, cùm quæritur, cur isti sint miseri, rectè respondetur, quia non adhærent Deo. Non est igitur Creaturæ rationalis bonum, quo Beata sit nisi Deus.* Aug. lib. 12. de Ciuit. c. 7.

3tia De Formali Beatitudine Angelorũ & Hominum.

Formalis Beatitudo æterna Angelorũ & Hominũ consistit principaliter & primariò in visione Beata Dei. Nihil siquidem mentes Angelorũ & hominum exsatiare potest, præter Visionem Beatificam Dei. *Satiabor cùm apparuerit gloria Tua.* Psal. 16. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum.* Ioan. 17. *Nunc videmus per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 3. *Facies Dei, manifestatio eius intelligenda est.* Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 29 Vnde Moyses à Deo postulauit. Exodi 23. *Ostende mihi faciem tuam. Videre enim faciem Dei, est videre eum sicuti est.* Aug Epist. 112. Igitur in hac clara intuitiua Visione Dei consistit formaliter & principaliter vita Beata, seu æterna Beatitudo. Primò, Quia per Visionem Beatam similes Deo efficimur. *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Ioan. 3. Visio enim Beatifica est quædam expressio, & imago essentiæ Diuinæ, per quam proinde similes Deo efficimur. *In quantum Deum nouimus, similes sumus, sed non ad æqualitatem, quia non tantùm eum nouimus, quantum ipse est.* Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 10. Secundò, Quia per visionem Beatam participamus claritatem, & vitam Dei, ac immortales efficimur. *Quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen sunt, & claritatem eius percipiunt; sic & qui vident Deum intra Deum sunt participantes eius claritatem. Viuificat autem eos claritas, percipiunt ergò vitam qui vident Deum* Irenæus lib. 4. c. 37. *Quoniam viuere sine vita impossibile est, subsistentia vitæ autem de Dei participatione euenit: participatio autem Dei est, videre Deum, & frui benignitate eius. Homines igitur videbunt Deum, & viuent per visionem immortales facti:* Idem loco citato. Tertiò, Quia regnum cœlorum intra nos existens, in Beata Dei contemplatione consistit. *Nihil aliud fratres regnum cælorum esse putabitis, quàm veram eorum quæ sunt, notitiam, quam & beatitatem vocant Diuinæ scripturæ. Regnum quippe Cælorum intra vos est. Atqui circa interiorem hominem, nihil præter contemplationem consistit. Quare reliquum est, vt contemplatio sit regnum cælorum,* Ita argumentatur S. Basilius epist. 141 Quartò, Quia Beata visio est præstantissima operatio mentis. *Res est in confesso*

apud

apud omnes, summam & caput felicitatis hominum, in contemplatione consistere, Est enim præstantissima facultatis animæ, quæ est mens, operatio. Cyrill. Alexand. 3. contra Iulianum, Quare verò in actione mentis scilicet contemplatione, beatitatis posita sit essentia, rationem complexus est ex Aristotele c. 7. l. 10. Ethic. Sanctus Tho. in 1. 2. qu. 3. art. 4. & 5. *Quod enim naturæ cuinsque est accommodatum (concludit Arist:) id præstantissimum & vnicuique iucundissimum, Ergo etiam homini vita, quæ secundùm mentem degitur, siquidem id maximè est homo. Hæc igitur est felicissima.* Quintò, Quia in præmium & mercedem visio beata probis fidelibus promittitur. *Tota merces nostra visio est.* Aug. in Psal. 90. *Qui diligit me, mandata mea custodit, & ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi. Tanquam enim fructus, & merces ab eo quæreretur, quia mandata eius custodiuntur, Ostendam, inquit, me ipsum illi, perfectam Beatitudinem ponens, vt cognoscatur sicutì est.* Aug. serm. 121. de Diuersis c. 30. Idem 1. de Trinit. c. 13. ait: *Nam visio formæ Dei, nonnisi mundis corde, quia ipsi Deum videbunt, id est solis pijs exhibebitur: quorum dilectioni hoc ipsum promittitur, quia seipsum ostendet illis: Præmium fidei nobis visio beata seruatur.* Aug. lib. 22. de Ciuit. Sextò, Quia visio beata est summum bonum, & gaudium, atque glorificatio hominis. *Videre faciem Dei viui, hoc est summum bonum, gaudium Angelorum, atque omnium Sanctorum præmium vitæ æternæ &c. Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cælum & terram.* Aug lib. solilo-qu. c. 35. Consistit igitur æterna, & formalis beatitudo in visione intuitiua Dei, *Ita Sanctissima Trinitas videndam se præbebit iustis, vt illa diuinitatis indesinens visio, ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo.* S. Fulgent. in respons. ad inquisit, tertiam Ferrandi.

4ta De Amore beatifico.

Beatitudo vitæ æternæ consistit integraliter & completiuè in amore beatifico, qui connaturaliter, & necessariò consequitur visionem intuitiuam summi boni, vt ita per intellectum & affectum, beatus perfectiorem vnionem cum Deo summo bono inamissibiliter possesso obtineat. Neque enim beati Deum duntaxat *videbunt sicuti est*: sed etiam, *inebriabuntur ab vbertate Domus Dei, & torrente voluptatis potabit eos.* Psal. 35. Quare etiam seruus fidelis iubetur *intrare*, non modò in visionem, sed etiam *in gaudium Domini.* Matt. 25. Nam *participatio Dei est, videre Deum & frui benignitate eius.* Irenæus lib. c. 37.

5ta De Lumine Gloriæ.

Corroborandus est mentis oculus, & ab insita caligine ad cælestem lucem transferendus, vt *Deum, quem nemo hominum vidit naturæ lumine, sed nec videre potest, intueatur. Deum videre est impossibile, præsertim naturæ hominis. At in-*

nisibilis Deus; pro sua benignitate ac potentia, imbecillitatem vi suâ corroborare dignatus est, vt quod inuisibile est, cerneret. Epiph, hæresi 70. Porrò lumen gloriæ non modo efficiens quoddam principium videndi, habitûs instar constituitur, quo mentis acies per se imbecilla perficitur, sed etiam vices obiecti gerit, veluti species impressa Dei. *Quoniam apud Te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Psal. 31. *Quid enim aliud Dei lumen dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi virtus Dei, per quam quis illuminatur, vel veritatem rerum omnium peruidet, vel ipsum Deum cognoscit, qui veritas appellatur.* Origenes lib. de Principijs c. 1. *Quemadmodum videntes lumen, intra lumen sunt, & claritatem eius percipiunt. sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, participantes eius claritatem Viuificat autem eos claritas.* Iren. lib. 4. cap. 37. *Igitur diuinæ mentes constanter, & immobiliter ad illuminantem sibi radium attolluntur, & congruo permissarum sibi illuminationum quibusdam velut in altum pennis subleuantur.* Dion. c. 1. lib. de diuinis nom. Vnde Viennensis Synodus sub Clemente V. Summo Pontifice, sequens dogma damnauit. *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Clem. Ad nostrum de Hæret: Quare, *sicut non est à carne, sed supra carnem, quod eam facit viuere. Sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beatè viuere, quia vt vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.* Aug. lib. 19. de ciuit. Dei cap. 25. Præterea idem S. Aug. lib. de peccatorum meritis c. 19. lumen à Diuina essentia diuersum indicat, *quo beati collustrantur, vt illam videant: Quod incommunicabiliter manens in æternum, iustificatos præsentiâ creatoris illuminat.*

6ta De Inæqualitate Visionis Dei.

Quemadmodum bonis iustorum operibus constitutum est à Deo præmium æternæ beatitudinis, ita non omnibus par idemque propositum est: sed pro meritis cuiusque diuersum ac inæquale. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 1. Cor. c. 3. *sicut alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à Stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. Item 2. Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionbus,* (id est abundè) *de benedictionibus & metet.* Sic Ioan. 14. Christus Apostolis loquens dicit. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: Nam quomodo mansiones multæ sunt apud Patrem* (ait Tertull. Scorpiace c. 6.) *Si non pro varietate meritorum? quomodo & Stella distabit in gloria, nisi pro diuersitate radiorum?* Et Greg. Papa lib. 4. Moral. c. 31. Quia *in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum. Nam etsi vnum regnum, diuersa tamen sunt merita in regno Cælorum.* Ambr. lib. 5. in Lucam. Nihil quocirca naturalis intelligentiæ vis, ac mentis acies nobilior ad beatam visionis perfectionem majorem confert.

7ma De

7ma De dotibus gloriosi Corporis.

Punctum 1mum. Corporis beatitudo consistit in 4. dotibus seu perfectionibus: nempe in impassibilitate, claritate, agilitate, subtilitate. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* 1 Cor. 15.

Punctum 2dum. Porrò immortalitas erit perfecta, quæ non tantùm excludit dissolutionem substantiæ, sed etiam quamuis perpessionem molestam. Consistit verò causaliter in conseruatione totius dispositionis naturalis, & in subtractione concursûs ad causas externas & internas, ne possint corpus gloriosum lædere. Quare *non esurient, neq; sitient, neq; percutiet eos æstus.* Isa. 49.

Punctum 3tium. Secunda dos est claritas corporum, scilicet vera lux à nostrate diuersæ speciei, quæ corporibus Beatorum erit intrinseca. Vnde corpora erunt pellucida & diaphana, sicut corpora cælestia. Nam *iusti in Regno cælorum fulgebunt sicut sol.* Matth. 13. *Quare patebit oculis corporis, ipsa etiam gloriosi corporis harmonia, & sic quisq; erit conspicabilis alteri, sicut non potest esse conspicabilis sibi.* Gregor 18. Moral. c. 3.]

Punctum 4tum. Tertia dos est celeritas seu agilitas ad motū celerrimum. Nam *tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Sap. 4. Imò *ipsis Angelis similes erimus, qui dicto citiùs de cælo ad terras, & è conuerso delabuntur.* Ansel de Simil. c. 25. Poterunt etiam agitare extranea corpora per vim motricem in anima supernaturalem, & adiutricem Potentiæ loco motiuæ. Vnde sicut anima Beata se mouet celerrimè, ita & corpus tùm proprium, tùm alienum.

Punctum 5tum. Quarta dos est subtilitas, seu vis quædam instar spiritûs omnia penetrantis. *Non ergò per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem imperuia visu, & clausa penetrabunt* S. Ambr. lib 10. in Lucam c. vltimo. Consistit verò hæc subtilitas in omnipotentia Dei per decretum præparata ad nutum beati, in ordine ad producendam beati vbicationem cum quocunq; corpore penetratiuam.

Punctum 6tum. Quod attinet sensus corporis gloriosi, cùm sint in statu perfecto futuri, gaudebunt & illi beatitudine sibi

competenti. Quare illorum functiones connaturaliter requisitæ ad statum beatitudinis, omni ex parte perfectæ, non possunt deesse. Vnde visus intuitu Beatorum corporum, cæli amænissimâ luce, varijs & inuisis coloribus ornatissimi, recreabitur; Auditus cantu, siquidem *in illa æterna Patria cùm iustorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis eleuatur.* Greg. lib. 8. Moral. cap. 39. Odoratus gaudebit perceptione suauissimorum odorum, quos corpora gloriosa exhalabunt. *Sancti tui florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.* Gustus recreabitur perceptione saporum & humorum, qui palatum, linguam, & interiora imbuent, diffusi per stomachum, & interiora, ad seruandam humiditatem, & lubricitatem partium internarum, quia hæ qualitates illis naturaliter debentur. *Porrò indubitanter, vt mea quidem fert opinio, æstimare licet sanitatem vitæ futuræ ita vigere, & immutabilem, ac inuiolabilem fore, vt & ineffabili quadam dulcedine suauitatis, totum repleant hominem, & omne, quod alicuius in se vicissitudinis, mutabilitatis, ac læsionis suspicionem prætendere queat, procul arceat & repellat.* S. Ansel. c 4. & 5. de simil. Ad extremùm tactus perceptione optimi temperamenti, item auræ cælestis, & corporis cælestis recreabitur. Verùm multò majora & plura, quàm cogitatione assequi possumus, *in illa hæreditate incorruptibili & incontaminata immarcescibili, nobis conseruantur in cælis.* 1. Petri 1. Nam *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus illis, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2.

THEO-

THEOLOGICÆ SS. PATRVM ET DOCTORVM ECCLESIÆ, ASSERTIONES.

De Actibvs Hvmanis.

Propugnante eodem qui supra. Præside R. P. Martino Kretzmer Societatis Jesv, *S. Th. Doctore & Professore &c.*

Ad Beatitudinem capessendam peruenitur solis animæ pedibus, seu affectibus & actibus humanis. *Qui vicerit, possidebit hæc; & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Apoc. 21 Quare victoribus actibus prauarum passionum, & motuum, æternam possidemus beatitatem. Vnde *Beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus facere mala & non fecit.* Eccl. 31.

1ma De Voluntario.

Punctum 1mum. Vt actus sit humanus, oportet illum esse voluntarium. Quare nullum obsequium, aut sacrificium Deo placet, nisi voluntarium. *Scito Deum, & serui ei corde perfecto, & animo voluntario.* 1. Paral 28. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Psal. 118.

Punctum 2dum. *Porrò voluntarium est, quod est à principio intrinseco cum cognitione.* D. Thomas hîc qu. 6. art. 1. Quare tria ad rationem voluntarij requiruntur, oriri à potentia appetitiua, oriri ab intrinseco, & oriri cum directione cognitionis. Vnde S. Damasc. *Voluntarium esse*, ait, *quod procedit à re, quæ non modò per principium sibi intrinsecum operatur, verùm etiam ipsa cognoscit finem, propter quem operatur, aut alias circumstantias.* Lib. 3. fidei Orthod. cap. 24. Porrò actus potest esse voluntarius vel respectu substantiæ obiecti tantùm, vel respectu particularium circumstantiarum; si sola substantia cognoscatur, tunc actus erit tantùm voluntarius respectu substantiæ, si verò etiam circumstantiæ cognoscantur, erit adæquatè voluntarius. De quo ait Arist. lib. 3. Ethic. c. 1. *Spon-*

tanqum seu voluntarium esse videtur, cuius principium est in eo, qui agit, particularia cognoscente, in quibus actio consistit.

2da De Differentia voluntarij liberi, & necessarij.

Voluntarium vt sic non est genus respectu liberi & necessarij, sed subiectum quod per liberum & necessarium tanquam per diuersa accidentia distinguitur. Quare actus charitatis in via liberè, & in Patria necessariò elicitus est eiusdem speciei iuxta illud 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Vnde manet semper in eadem specie essentiali siue liberè in via, siuè necessariò in Patria exerceatur. Modus enim libertatis, & modus necessitatis sunt quædam quasi accidentia illius, & omnis actûs voluntarij.

3tia An Voluntarium sit commune operationibus hominum & brutorum.

Punctum 1mum. Voluntarium reperitur in brutis & hominibus. Nam *quod sponte fit, ad plura se extendit, est enim & pueris & animalibus cæteris, nobiscum commune, electio verò non est communis.* Arist. lib. 3. Ethic. c. 3. *Cùm autem id inuitus agat quispiam, quod ob ignorantiam agitur, id profectò sponte quispiam videbitur agere, cuius principium est in agente sciente singula, in quibus est actio.* Arist. lib. 1. Ethic. c. 3. Quare ex doctrina Philosophi Voluntarium & spontaneum ad conuertentiam dicuntur. Sunt quocirca brutorum, puerorum, amentium actiones voluntariæ, cùm sint *à principio intrinseco cum cognitione.* D. Thomas cit. *Causæ voluntariæ aut Dei sunt aut Angelorum, aut quorumcunq; animalium si tamen voluntates sunt appellandæ, animalium rationis expertium motus illi, quibus aliqua faciunt secundùm naturam suam, cùm quod vel appetunt, vel euitant,* Aug. lib. 5. de ciuit Dei. Vnde Imò sequitur.

Punctum 2dum. *Brutis competit voluntarium imperfectum, perfectum hominibus.* D. Thomas hîc art. 2. Est enim voluntarium, quod fit cum cognitione finis, vnde cùm perfectè sola rationalis natura cognoscat finem, imperfectè autem etiam bruta, consequens est, vt Voluntarium perfectè solùm conueniat naturæ rationali. Sola enim rationalis natura cognoscit rationem formalem finis, hoc est ordinem & proportionem, quam habet finis

cum

cum medijs, bruta verò tantùm cognoſcunt rem ipſam, quæ eſt finis. Hinc dum Ariſtoteles dicit, *ſpontaneum ad plura ſe extendere, quàm voluntarium*, apertè indigitat *voluntarium electiuum*, dicens *electio non eſt communis brutis & hominibus*. Sic D. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei c. 9. omnibus quidem animantibus voluntarium tribuit, ſed perfectius hominibus. *Magis hominum, quàm beſtiarum voluntatibus corpora ſubjacent, ſed omnia maximè Dei voluntati ſubdita ſunt.* Dum verò ibidem dubitat, an brutis tribuendæ ſint voluntates, non obſcurè imperfectum voluntarium duntaxat ijs adſcribendum declarat. *Si tamen voluntates ſunt appellandæ animalium rationis expertium; &c.*

4ta De Voluntario Libero.

Punctum 1mum. Quadruplex eſt liberum, à miſeria, à peccato, à coáctione, & à neceſſitate. Prima eſt *libertas gloriæ*. Beatitudo enim excludit omnem miſeriam, cùm ſit *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*. *Libertas à peccato* eſt *libertas gratiæ*, per quam à ſeruitute peccatorum liberamur. *Libertas à coáctione*, eſt, dum aliquid ſine violentia fit, nullâ ſcilicet vi extrinſecùs illatâ, quantumuis neceſſariò fiat, vt penes facientem non ſit reſiſtere ſummæ propenſioni, qua rapitur in actum. Talis eſt amor Beatorum, quo Deum proſequuntur, liber quidem à coáctione, ſed non à neceſſitate, Vnde proprijſſima *libertas eſt à neceſſitate*. *Libertas* ſcilicet *indifferentiæ ſeu indeterminationis*. De qua Apoſt. 1. Cor. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.*

Pun: 2dum. Libertatem hanc paſſim Lutherus & Caluinus negant, docentes *hominem quicquid agit, agere neceſſariò* Quod dogma Lutherus *omnium optimum* appellat, *verum ſuarum ſummam*. Licet verò aliqui vocetenus liberũ arbitriũ admittant, per hoc tamen intelligunt libertatem à coactione, ſeu à vi exteriùs illata. Quæ ſi abſit licet neceſſariò quis agat, ita vt ſe ab agendo omninò cohibere non poſſit, agit tamen liberè ſecundùm illorũ peruerſum dogma: cui poſtremò acceſſit Ianſenius Iprenſis Epiſcopus, dum ait tom. 3. lib. 6. c. 6. *Sola neceſſitas coactionis repugnat libertati*, Et poſt. *Libertas arbitrij in peccando, cum peccandi neceſſitate conſiſtit*. Verùm non ita docuit S. Aug. quem tamen ſui dogmatis Magiſtrum falsò iactat. *Si laborioſum eſt, omnia mandare memoriæ, hoc breuiſſimum tene, quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* S. Aug. lib 3. de libero arbitrio cap. 18. Hinc patet, quod S. Aug. non coactionem tantùm ſed omnem omninò cauſam, ſiue ea extrinſeca ſit, ſiue intrinſeca, ſi reſiſtere ei nequeat voluntas, libertatem tollere affirmat, & potentiam peccandi,

5ta De

5ta De Libertate à neceſſitate.

Punctum vnum. Libertas in actu primo ſeu liberum arbitrium eſt *ipſa voluntas, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari & non operari.*, Sanctus Thomas 3. p. qu 83. art. 3. *Arbitrij libertas parem in vtramq; partem, motum habet.* S. Greg. Nazian. in Apologet.

Punctum 2dum. Ad merendi demerendiq; potentiam, requiritur immunitas non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Quare Pius V. & Greg. XIII. tres ſequentes Michaëlis Baij propoſitiones damnârunt. *Quod voluntariè fit etiamſi neceſſariò fit, liberè tamen fit.* Item. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Item. *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſariò facit.* Præterea Innocentius X. damnauit ſequens effatum Ianſenij. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Docuit nimirum Ianſenius per peccatum Adæ amiſſam in hominibus in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutis libertatem indifferentiæ ad bonum & malum. Dum verò aliquid boni agunt, agunt ex gratia neceſſitante, cuius vi omninò ita ad opus bonum impelluntur, vt abſtinere ab operando nequeant. Quodſi verò gratiæ auxilium abſit, tunc naturæ corruptæ pondere omninò ad peccandum impelluntur.

6ta De Libertate indifferentiæ in ſtatu naturæ lapſæ.

Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit &c. anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6. can. 5. Neq; dici poteſt ſolùm damnari negantes libertatem à coactione, non à neceſſitate. Quia hoc decretum eſt latum contra Lutherum, & alios, qui libertatem à coactione non negabant, ſed tantùm libertatem à neceſſitate. Vnde Lutherus libro de ſeruo arbitrio, *liberum arbitrium ait eſſe figmentum in rebus & titulum ſine re, omniaq; de neceſſitate abſoluta fieri.* Contra cuius dogma denuò Trid. fulminat eadem ſeſſ. can. 6. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere &c. anathema ſit.* Et ibid can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti &c. neque poſſe diſſentire ſi velit &c. anathema ſit.* Vnde conſtat gratiam non eſſe neceſſitantem, cui nemo poſſit reſiſtere, vti volebat Caluinus & Ianſenius.

7ma Qui libertatem à neceſſitate negat, is negat vetus & nouum teſtamentum.

Negat primò c. 30. Deut. v. 19. vbi Moyſes populum Iſraëliticum ſic affatur. *Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergò vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.*

Negat

Negat secundò lib. 2. Regum c. 24. v. 22, vbi Gad Propheta Dauidi, Dei iussu proposuit. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi.* Negat tertiò Numer. c. 30. v. 14. *In arbitrio viri erit, vt faciat, siue non faciat.* Negat quartò Eccl. c. 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Negat quintò Gen. c. 5. v. 7. *Quare iratus es, & concidit facies tua? Nonnè si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* At si in homine non est libertas indifferentiæ, quâ ratione Deus petit à Caino. Quare iratus es? Respondere vtiq; secundùm Ianseniam, Lutherum, & Caluinum poterat. Quia ad irascendum sum necessitatus. Similiter non minùs frustra Iudex à reo quæreret, Quare furatus es, quare occidisti? quàm quis ab equo quæreret, cur aliena gramina & grana depascis? aut à lupo, quare agnum deuorasti? Nam par hominibus & bestijs necessitas faciendi incumbit. Dum verò Deus Caino dicit, illum dominaturum appetitui, quale, rogo, est istud dominium? siquidem iuxta Iansenium & alios sequaces non homo appetitui, sed appetitus homini, ineuitabili necessitate dominatur? Negat sextò 1. Cor. c. 7. v. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis.* Item Apocal. 3. v. 30. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo.* Præclarè Origenes in illa Verba Numerorum. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus poscit abs te &c. Erubescant illi hæc verba,* inquit, *qui negant in homine liberum arbitrium. Quomodo posceret ab homine Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod poscenti Deo deberet offerre.*

8ua Jansenius negans libertatem indifferentiæ, oppugnat omnes SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ.

Oppugnat primò S. Irenæi doctissimi, & à fuso pro Christo Sanguine Sanctissimi Martyris sententiam lib. 4. c, 9. *Homo rationalis, & secundùm hoc Deo similis, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidem frumentum, aliquando palea fiat.* Oppugnat secundò S. Basilij celeberrimi Doctoris sententiam lib. 3. contra Eunomium. *Creatura ita comparata est, vt virtutis, & diuinæ dilectionis præmium sanctificationis habeat, quoniam naturâ vtitur liberâ, vt ad vtrumlibet possit inclinari, ad electionem scilicet boni & peioris.* Oppugnat tertiò S. Iustini Martyris doctrinam, qui de bonis hominum operibus loquens, in Apologia ad Senatum, ait. *Neq; quidquam horum laude dignum esset, nisi illi vtramq; in partem conuertere, & quasi flectere se possent.* Oppugnat quartò S. Chrysostomi sermonem de proditione Iudæ *Quoniam bona ac mala Deus posuit in nostra potestate, electionis liberum donauit arbitrium, & nos inuitos non*

retinet, sed volentes amplectitur. Oppugnat quintò Tertulliani doctrinam lib. 2. contra Marcionem c. 5. *Cæterùm nec boni nec mali merces, jure pensaretur ei, qui bonus aut malus necessitate inuentus esset, non voluntate.* Oppugnat sextò S. Ambrosij sententiam lib. de Iacob & vita beata. *Non seruili ad obediendum stringimur necessitate; sed voluntate arbitra, siue ad virtutem propendemus, siue ad culpam inclinamur.* Oppugnat septimò S. Hieronymi epist. 146. ad Damasum. *Dedit eis liberum arbitrium: dedit mentis propriæ libertatem; & vt viueret vnusquisq; non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo; id est non ex necessitate sed ex voluntate, vt virtus haberet locum.* Oppugnat octauò S. Hilarium in Psal. 118. *Vnicuiq; ad id, quod volet, via est proposita, viuendi & appetendi, atque agendi permissa libertas; & ob id vniuscuiusque aut pœna aut præmijs afficietur electio.* Oppugnat nonò S. Prosperum lib. 1. de vocatione gentium c. 8. *Nec quia Spiritu Dei agitur homo, ideò se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit: à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod ergò non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem.* Oppugnat decimò S. Augustinum lib. de vera religione c. 14. *Si,* inquit, *necessitate id fecissent, nullo peccati crimine tenerentur.* Quod tàm clarum esse affirmat, vt nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Item lib. 1. de actis cum Fœlice Manich. c. 4. *Habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Item lib. 2. contra Faustum. *Et nos sub fato Stellarum, nullius hominũ genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Item lib. de spiritu & litera. c. 34. ait: *Misericordiam Dei in omnibus præuenire nos: sed consentire Dei vocationi, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis esse.* Concludo igitur contra Iansenium & Iansenistas cum eodem S. Augustino lib. de fide c. 9 *Aduersùs hæc solita cæcitate latrant Manichæi* (nunc etiam Iansenistæ) *& cùm conuincuntur naturam non esse malam, sed in potestate esse hominis, facere bene aut malè, dicunt non esse animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem suam.*

9na De Inuoluntario; & inprimis de violento

Punctum 1mum. *Violentum est, cuius principium est foris, nil prorsus conferente passo, cui vis illa est illata.* Arist. 3. Ethic, c. 1. Requiritur autem positiua resistentia & non solùm positiuos concursus, non præstitus. Porrò coactum seu violentum est voluntario contrarium; vti indicat S. Petrus epist. 1. c. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum.*

Punctum 2dum. Sicut dupliciter res aliqua naturalis vim patitur, videlicet negatiuè,

negatiuè, vt cùm lapis contra propriam inclinationem prohibetur descendere : & positiuè, cùm violenter ascendit : Sic dupliciter potest intelligi cogi voluntatem quoad actus elicitos, scilicet positiuè; si nimirum, ab extrinseco cogeretur habere actum internum, qui repugnet ipsius inclinationi; Et negatiuè, si prohibeatur actum habere, ad quem ita naturaliter inclinatur, vt illius negatio sit contra ipsius voluntatis inclinationem.

Punctum 3tium. Si loquamur de coactione positiuè, non potest quoad actus voluntatis elicitos, id est, qui in ipsa voluntate peraguntur, vis voluntati inferri, etiam per absolutam Dei potentiam. Nam quicunq; actus in Voluntate ponatur, vel est verè actus illius, vel non. Si primùm. Ergo habet cùm Voluntate proportionem, & consequenter est secundùm illius inclinationem, adeoque voluntarius, & non coactus. Si secundum, Ergò per illum non potest cogi, cùm non sit ipsius actus. Ita S. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei c. 10, *Si necessitas illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus, efficit, quod potest, manifestum est, voluntates nostras non esse sub tali necessitate, (scilicet coactionis) multa enim facimus, quæ si nollemus, non vtiq; faceremus. Quò primitus, pertinet ipsum velle. Nam si volumus : est (scilicet ipsum velle) si non volumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus.*

Punctum 4tum. Si loquamur de coactione negatiuè, potest voluntas cogi negatiuè quoad actus elicitos saltem à Deo, quoad aliquod obiectum. Nam potest Deus de potentia absoluta negare concursum necessarium, vt beatus videns clarè essentiam diuinam, non eliciat tamen actum dilectionis erga Deum, quo casu Voluntas sustinebit negationem actûs, contra naturalem suam inclinationem : non minùs, quàm si lapis contra propriam inclinationem prohiberetur descendere.

Punctum 6tum. Quoad actus à voluntate imperatos, hoc est, qui ex imperiò voluntatis peraguntur in alijs potentijs hominis, potest vis inferri voluntati, adeòq; cogi & violentiam pati. Nam voluntatem circa tales actus cogi, nihil aliud est, quàm in eiusdem potentijs aliud vel aliter geri ab extrinseco principio, quàm ipsa voluntas imperet. Vt si volenti videre, vi claudantur oculi, aut nolenti videre, vi aperiantur.

Punctum 6tum. Non tamen esset inuoluntarium per violentiam id, quod quis patitur absq; positiuo consensu interiori, aut etiam cum voluntate renitente per actum positiuum : Si insuper dum debet & potest, actu externo efficaciter non resisteret. quo casu non esset involuntarium simpliciter, sed voluntarium indirectè. Vnde si Virgini stuprum inferatur, non quidem consentienti, aut etiam illibenti, sed tamen non resistenti, cùm potest & debet, voluntarium indirectè est illi stuprum. Quia vt sit violentum, oportet Virginis voluntatem nul-

lo modo ad illud conferre, ne indirectè quidem. *Violentum enim est id, quod fit ab extrinseco, passo nil ad id conferente, sed potius repugnante.* 3. Ethic. c. 1.

Punctum 7mum. Potest aliquid secundùm vnam rationem esse voluntarium, & secundùm aliam involuntarium & violentum. Nam mors Martyrum quatenùs à tyrannis iniquè inferebatur, violenta & innoluntaria erat Martyribus, Quia non consentiebant in Tyrannidem, nec tenebantur mortem vitare resistendo Tyrannis. Quatenus verò passiuè mortem sustinebant, erat eis voluntaria.

10ma De metu: an scilicet causet inuoluntarium?

Punctum 1mum. *Quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria, inuoluntaria verò secundùm quid* Greg: Nyss: lib. 5. de Philos. c. 1. Quæ enim ex timore fiunt vel negligentia, non raro vituperantur. Ergò sunt simpliciter voluntaria & culpabilia. *Pigrum deijcit timor.* Prouerb. 18 *Oblitus es domini factoris tui, & formidâsti jugiter totâ die à facie furoris eius, qui te tribulabat.* Isa. 51. *Propter Pharisæos non confitebantur, vt ex Synagoga non eijcerentur, dilexerunt enim hominum gloriam magis, quàm gloriam Dei.* Ioan. 12. Et certè voluntas ab ijs, quæ ex metu fiunt, abhorret, dum illa nudè & per se considerat intellectus, abstrahendo à circumstantijs, quando verò omnes circumstantias considerat, vt nimirum eâ ratione maius malum vitet, vult illa simpliciter voluntas, vti accidit in projjciente merces in mare ad euitandum maius malum mortis.

Punctum 2dum. Quare ea, quæ ex metu fiunt, mixta sunt, partim voluntaria, partim inuoluntaria: magis tamen voluntaria seu spontanea. *Mixtæ igitur huiusmodi actiones cùm sint, spontaneis tamen magis sunt similes, quippe cum eligendæ sint, tunc, cùm aguntur omnibus videlicet consideratis.* Lib. 3. Ethic. c. 1. *Sciendum quædam spontanei, & inspontanei esse media (vtramq; scilicet rationem participantia) quæ cum insuauia, & tristia sint, ob maius euitandum malum suscipimus. Vt ad vitandum naufragium, projcimus, quæ in naui sunt.* Damasc. lib. 2 Orthodox. fidei cap. 24.

Pun: 3tium. Metus ex duplici capite potest vel excusare à peccato, vel contractum inualidare. Primò si præceptū non obliget cum discrimine tanti mali, quantum timetur ex obseruatione præcepti. Secundò dum contractus vel pactum v. g. Matrimonij, aut professionis religiosæ est eiusmodi, quod propter rationes aliquas particulares debet esse vndequaque voluntarium, & nullo modo coactum.

Punctum 4tum. In actione facta ex metu diligenter est considerandum, quid propriè sit factum & intentum ex metu, non verò quid sit coniunctum cum illa actione. Nam coniunctum non erit voluntarium, sed illud quod propriè erit intentum. Vnde peregrinus dans latroni centum florenos ex metu mortis intendit propriè exterius ei exhibere centum florenos, non verò transferre do-

miniam,

minium conjunctum cum tali exhibitione. Quare latro in conscientia erit obligatus restituere centum florenos.

11ma De Concupiscentia: An causet inuoluntarium?

Punctum 1mum. Concupiscentia non minuit Voluntarium: sed maximè auget & intendit. Efficit enim, vt maxima propensione voluntas in bonum sensibile feratur. Quare actiones ex concupiscentia susceptas, Scriptura diuina tan, quam peccata voluntaria prohibet & reprehendit. *Post concupiscentias tuas non eas*' Eccl. 18. *Concupiscentia subuertit cor tuum.* Daniel. 13. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Rom. 6. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Iacobi 1.

Punctum 2dum. Concupiscentia minuit Liberum. Nam impetus concupiscentiæ est impedimento, quo minùs singula spectantia ad actum, perspicaciter considerentur, eò, quòd obfuscetur per eam cognitiò, & consequenter efficit, vt minor sit indifferentia intellectûs ad proponendum voluntati hoc vel oppositum: quò etiam fit, vt libertas voluntatis sit minor in eiusmodi actu, cùm radix quasi libertatis, sit illa indifferentia intellectûs in proponendo. Nam, quod intellectus minori cum indifferentia proponit voluntati, id majori quadam vi & determinatione proponit.

Punctum 3tium. Licet verò per concupiscentiam minuatur Liberum vt liberum, & ex huius imminuatione minuatur præcipuè ac proximè peccatum. cùm de ratione peccati maximè sit, vt committatur liberè, non minuitur tamen etiam voluntarium, licet ad hoc etiam requiratur cognitio finis, & objecti, atq; aliarum circumstantiarum. Tum quia inclinatio voluntatis, quæ est vnum ad voluntarium pertinens: idque præcipuum, augetur potiùs ex concupiscentia, Tùm quia cognitio finis non tollitur per concupiscentiam, cùm de tali concupiscentia agamus, quæ non omninò obruit rationem. Tùm quia licet concupiscentia indifferentiam rationis impediret aliquantum, non tamen impediret absolutè cognitionem finis & obiecti, consequenter non minueret voluntarium. Quia hoc æquè est voluntarium, siue sit liberum, siue necessarium. Nam modus libertatis & necessitatis sunt accidentia voluntarij. vti supra dictum est.

12ma De ignorantia; An causet inuoluntarium?

Punctum 1mum. *Ignorantia alia est Causa eius, quod ignoranter fit, alia non est causa.* D. Thomas qu. 76. art. 1. Causa est tunc, cùm opponitur cognitioni, quæ illud impediuisset. Cùm enim ignorantia, priuatio quædam sit, ideò *remouendo impediens vel prohibens, potest esse alicuius causa.* Tunc verò non est causa eius, quod ignoranter fit, *cùm non remouet cognitionem, quæ ipsum impediuisset,*

pediuiſſet, nempe ſi homo nihilominùs id fuiſſet facturus, etiamſi cognouiſſet, quod ignorauit. Hanc appellat S. Thomas *concomitantem*, quia comitatur quidem id, quod fit, ſed non eſt eius cauſa.

Punctum 2dum. Præterea ignorantia *alia eſt voluntaria, alia inuoluntaria ſimpliciter.* Illa eſt, quam quis potuit & debuit depellere. Vocatur à S. Thoma *Conſequens*, quia voluntatem *liberam directè aut indirectè terminat, & quaſi ſequitur.* Vocatur etiam *Vincibilis*, quia poteſt vinci comparata ſeu acquiſita cognitione. Vocatur & *affectata*, cùm quis de induſtria & directè renuit ſcire, ſiue etiam *tantùm indirectè*, cùm quis potuit ſaltem ac debuit ſcire. Altera *ignorantia inuoluntaria* eſt, quæ *nullo modo eſt volita.* Appellatur à S. Thoma *antecedens*, quia *antecedit liberam Voluntatis poteſtatem*, neque in illam vllo modo cadit, cùm nec directè fuerit affectata, nec indirectè. Vocatur etiam *inuincibilis*, quia nullo modo per cognitionis acquiſitionem depelli potuit. Hanc duplicem ignorantiam diſtinguit S. Damaſc. lib 2. fidei Orthod. c. 24. *Ignorantia alia eſt, cuius cauſam quis præbuerit, alia, cuius quis non eſt cauſa.*

Punctum 3tium. Ignorantia, quæ non eſt cauſa actûs, ſed tantùm concomitans, efficit quidem non volitum, at non efficit vllo modo inuoluntarium contrariè: Nam ignorantiam concomitantem tunc dicimus, quando quis efficit quidem aliquid ignoranter, ſic tamen, vt ſi cognouiſſet, feciſſet nihilominùs. Vt ſi quis occidat Mineruam, putans eſſe ceruam. Talis occidit non voluntariè, neq; occiſio illi eſt volita, quia non eſt cognita. Non occidit tamen inuoluntariè, quia inimici mors non eſt illius voluntati contraria: ſiquidem illum nihilominùs fuiſſet occiſurus, etiamſi cognouiſſet.

Punctum 4tum. Si ignorantia ſit cauſa actûs, & ſimul ſit ignorantia conſequens, hoc eſt, volita *indirectè vel directè*; ſiue juris illa ſit, ſiue facti, efficit quidem inuoluntarium ſecundùm quid, non tamen inuoluntarium ſimpliciter. Quia quod ea ignorantia conſequente quis efficit, id ſi cognouiſſet, non fuiſſet facturus; cuius ſignum eſt, quòd eum, qui ſic ex ignorantia agit, poſtea facti pœnitet. *Ex ijs, qui ex ignorantia agunt, quem facti pœnitet, feciſſe inuitus videtur.* Phil. lib. 3. Ethic. c. 1. Altera verò pars conſtat. Nam vt ignorantia ipſa conſequens volita eſt, ſic etiam illud, quod ex ea ſit. Vnde *ſi quis ebrius homicidium admittit, ignorans quidem necem cōmiſit, at non inſpontaneè, cauſam enim ſuæ ignorantiæ ebrietatem ipſe miniſtrauit.* Damaſc. lib. 2. fidei Orthod. c. 24. Quare & S. Scriptura non rarò tradit quædam eſſe verè peccata, atq; adeò voluntaria, licet ex ignorantia fiant, quia ſcilicet ipſa quoq; ignorantia ſit voluntaria & culpa. *Anima ſi peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex ijs, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum* Leuit. 5. Item: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris,*

mineris. Psal. 24. Item: *vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis &c.* Ephes: 4.

Punctum 5tum. Ignorantia, quæ est causa actûs, si simul sit antecedens, id est nullo modo volita, simpliciter efficit inuoluntarium. *Per ignorantiam inspontaneam est, quando ignorantiæ causam non præbuerimus.* Damasc. loc. cit.

13tia De Moralitate Actuum Humanorum.

Pun: 1mum. Non quicunq; actus hominis est humanus. *Illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo est Dominus. Est autem homo Dominus suorum actuum, per rationem & volitionem.* D. Angel. 1. 2. qu. 1. art. 1. Dicuntur autem actus humani, actus morales, denominatione desumpta à more, *qui est frequens & liber idem operandi modus.* 1. 2. qu. 58. art. 1. à quo mores seu habitus gignuntur, Quare de degentibus in eadem familia & domo propter exercitium similium actionum dicitur. *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Ps. 67.

Punctum 2dum. Actus morales seu humani, alij sunt boni, alij mali. Illi laudem, hi vituperium merentur. *Nonne si bene egeris recipies; sin autem malè, statim in foribus tuis, peccatum aderit.* Gen. 4. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum.* Rom. 2. Vnde illi *gignunt virtutem, quæ facit animam optimam.* S. Aug. lib. 1. de moribus Eccles. c. 6. *Virtus enim est bona mentis qualitas.* Idem 1. Retract. c. 9. Mali verò actus vitium generant. *Omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est, & vituperabile est.* August. lib. 12. de ciuit. Dei c. 7. *Quare sicuti virtus est, quæ bonum facit hominem.* Arist. 6. Ethic c. 6. *Ita vitium malum reddit hominem. Reddit verò malum, quia hominem à Deo bono facit recedere.* S. Aug. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 17. *Recedendo à Deo bono quid eris, nisi malus?* Idem.

14ta De Malitia morali.

Punctum 1mum. Actus humani siue mali sint, quia sunt prohibiti, siue ideò prohibiti quia mali, semper malitiam suam desumunt ex oppositione cum lege aliqua. *Vbi non est lex, non est prævaricatio.* Rom. 4. *Prævaricatores reputaui omnes peccatores terræ.* Psal. 118. *Quid est peccatum, nisi cælestium inobedientia præceptorum?* & post. *Dei autem præceptum non quasi in tabulis lapideis, atramento leg[...]us scriptum, sed cordibus nostris tenemus impressum Spiritu Dei viui.* S. Ambros: lib. de Parad. cap. 8. Dum verò Rom. 2. Apostolus dicit *aliquos sine lege peccâsse*, loquitur de lege scripta, quam multi ignorârunt: non verò de lege naturali. *Quæ est ista lex, nisi illa, de qua loquitur Apostolus, ipsi sibi sunt lex?* S. Aug.

in 2. Rom. *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ sunt legis, faciunt, ejusmodi legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Rom. 2.

Punctum 2dum. Idem est facere contra rectam rationem, & contra rationem Diuinam : tùm quia ratio humana, participatio quædam est rationis diuinæ : tùm quia omnis recta ratio sibi cohæret, neq; potest duplex recta ratio de eodem secundùm idem, oppositum judicare. *Est enim recta ratio veluti impressio quædam legis æternæ quæ est in Deo, imò continet voluntatem Dei, sicut lex scripta continet voluntatem Principis.* D. Angel. 1. 2. qu. 19. a. 4. & alibi. *Ostendunt nimirum opus legis scriptum in cordibus suis.* Rom. 2.

15ta De Actionibus intrinsecè malis.

Punctum 1mum. Mala intrinsecè, antecedenter ad legem positiuam, & cognitionem etiam Diuinam, habent fundamentalem malitiam. Quia necessariò debet supponi aliquid, vt Deus & homo judicent actionem esse malam, & à bona discernant, aliàs enim de omni actione æquè possent iudicare esse bonam, aut malam. Porrò hæc malitia fundamentalis est dissonantia cum natura rationali, ex eo quòd peccatum malum sit naturæ, sicuti calor malus est aquæ, & frigus malum est igni. Neq; enim peccatum est deformitas respectu cognitionis. *Vitium ita contra naturam est, ut non possit, nisi nocere naturæ.* Aug. lib. 11. de ciuit. c. 17. Item : *Omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est.* Lib. 12 de Ciuit. c. 1.

Punctum 2dum. Sicuti verò in disconuenientia caloris cum aqua nil aliud reperitur præter calorem & aquam, ita in disconuenientia actionis peccaminosæ cum natura rationali nil aliud reperitur præter animam rationalem, & actionem his circumstantijs affectam. Quare prima regula nostrarum actionum est natura rationalis. Vt tamen actio sit formaliter mala vel bona, requiritur dictamen rationis enuntiantis actionem esse consonam vel dissonam naturæ rationali. *Quis ostendit nobis bona ? signatum est super nos lumen vultûs tui Domine* Psal. 4. *Id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris, atq; id ipsum, quod excellit in homine, id est mens & ratio subijciatur potiori, quod est ipsa veritas.* Aug. libr. 1. de serm. Domini in monte cap. 8. *Si enim non adsit dictamen rationis regentis, non erit rationale obsequium nostrum.* Rom. 12. *Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, vbi non rationi voluntas subijcitur.* Hilarius initio lib. 10 de Trinit. Quare Philosophus lib. 2. Ethic cap. 6. Affirmat actionem rationi consonam, & virtutem *consistere in mediocritate, quæ à ratione præfinita sit.*

Punctum 3tium. Dictamen rationis, est conditio applicans mensurabile ad mensuram,

mensuram, seu regulabile ad regulam, scilicet naturam rationalem. Quare si odium Dei necessariò eliciatur, nullo dictamine rationis contradicente, non erit malum formaliter, sed materialiter tantùm, ac per consequens, fundamentaliter tantùm erit dissonum naturæ rationali. *Non enim auribus corporis de mandatis cælestibus judicamus, sed cùm esset Dei Verbum, opiniones quædam boni & mali pullulârunt, dum id, quod malum est, naturaliter intelligimus vitandum, id quod bonum est, naturaliter intelligimus esse præceptum.* Et in fine concludit, *Opinio nostra ipsa sibi legem facit.* Ambr. lib. de Parad. c. 8.

16ta De Conscientia.

Punctum 1mum. Actus quo ratio dictat, quid sit consonum vel dissonum naturæ rationali, & per consequens fugiendum aut amplectendum in aliquo casu particulari, sumitur etiam ex conscientia nostra tanquam proxima regula applicante. *Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ.* 2. Cor. 1. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Eccl. 13. *Præoccupant pessima, redarguente conscientia.* Sap. 17. Hanc regulam applicantem adhibebat D. Aug. lib. contra Secundinum Manichæum cap. 1. *Senti de Augustino, quod libet; sola me conscientia in oculis Dei non accuset.*

Punctum 2dum. Etiam conscientia erronea obligat ad suum dictamen. Qui enim seu verè seu falsè judicat aliquid esse malum, & nihilominus id prosequi vult, is hoc ipso quantum in se est, sectatur malum. Nam quod obiectum ipsum per se sit reuera bonum aut malum, hoc quidem non est in hominis voluntate, sed illud solùm, vt quod ipse malum judicat, aut bonum, id vitare aut prosequi velit. Quocirca qui judicans aliquid malum esse, siue verè, siue falsè, illud nihilominùs vult, is quantum in ipso situm est, vult malum. Sic pleriq; SS. Patres exponunt illud ad Rom, 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est, *quod non est secundùm conscientiam.*

Punctum 3tium. Obligatio, quâ quis tenetur vitare id, quod falsò judicat esse malum, per se non oritur ex ipsa conscientia erronea, sed potiùs ex synderesi quæ vetat, ne quis velit, quod judicat malum. Nam conscientia erronea habet se tunc solùm vt conditio quædam, quâ existente tenetur homo ex lege naturæ vitare id, quod alioquin secluso eiusmodi errore conscientiæ, non teneretur vitare. Vnde peccat contra legem naturalem rationis, quam dicimus synderesin seu principium morale à natura rationali dictatum, qui facit quod falsò existimat esse malum.

17ma De actu externo.

Punctum 1mum. Certum est actum externum esse bonum vel malum, cùm Sacra Scriptura quasdam actiones externas præcipiat, consulat, laudet, alias è

contra tanquam malos prohibeat & vituperet. Vnde inter cæteros errores Petri Abailardi ab Ecclesia damnatos teste Diuo Bernardo epist. 188. vnus fuit, quòd *actus externus non sit bonus vel malus.*

Punctum 2dum. Si voluntas interior absque opere sit perfecta & efficax, ita vt ob solum defectum possibilitatis prætermittatur opus, tunc tantundem præmij vel poenæ consequitur, quantum si ad opus etiam progrederetur. Vnde Angelus in persona Dei ad Abraham propter eius efficacem voluntatem sacrificandi filium, dixit Gen. 22. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo nomen tuum &c.* Item Matt. 7. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo;* & 2da ad Cor. 8. *Si voluntas prompta est, secundùm id, quod habet accepta est, non secundùm id, quod non habet &c.* Quo testimonio D. Cypr. lib. 3. ad Quirinum c. 2. probat ; *in opere etiamsi per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem satis esse.* Quare rectè D. Ambr. lib. 1. offic. c. 30. ait. *Affectus diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.* Neq; secus docet D. Aug. lib. 1. de libero arbitr. c. 3. *Si cui facultas non contingat peccandi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit eum cupere, & si potestas detur, esse facturum, non minùs reus est, quàm si in facto ipso deprehenderetur.* Nam *Dominus non solùm pro operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio, vnicuiq; aut præmium reddit, aut pœnam.* S. Ioan. Cassian. lib. 8. de instit. cœnob. c. 19. Item D. Greg. hom. in Euang. *Dominus cor, non substantiam pensat. Nec perpendit quantum in eius sacrificio sed ex quanto proferatur.*

Punctum 3tium. Per accidens potest actus exterior reddere interiorem meliorem vel pejorem tripliciter. Imò, Si accedente actu exteriori repetatur iterum actus interior. 2dò, Si vsq; ad complementum operis exterioris continuetur interior actus. Tertiò, Si propter delectationem, quæ capitur ex actione exteriori, intendatur actus interior.

Punctum 4tum. Voluntas etiam tunc quandó est efficax ad operandum perficitur per ipsum opus. Omnis enim inclinatio & appetitus perficitur ex hoc, quòd re ipsâ assequatur suum terminum. Porrò perfectio hæc in genere moris, importat majorem pœnam aut præmium, non quidem essentiale, sed accidentale, quale etiam respondet alijs circumstantijs. Nam essentialis quidem taxatur à Deo, quatenùs actio in nostra potestate est, & eatenùs bene vel malè fit. Accidentalis refertur ad modum operandi perfectiorem, qui ex opere externo vel circumstantijs taxatur. Quare gaudebit quilibet specialiter, vel dolebit de executione operis.

18ua De actu indifferente.

Punctum 1mum. Dantur actus quoad speciem indifferentes, qui ex objecto

ctо ſuo nec boni nec mali ſint. Quare damnauit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 5. inter alios articulos Ioannis Hus, etiam hunc: *Nulla ſunt opera indifferentia.* Confirmauit eandem damnationem Martinus V. Summus Pontifex in Bulla, quæ extat in fine illius Concilij. Porrò ſermo eſt de bonitate & malitia morali propriè, vt ſcilicet bonitas, non eſt qualiſcunq; congruentia cum ratione & voluntate hominis, ſed congruentia ejuſmodi, vt habeat laudem ſecundùm æſtimationem hominum. De hac indifferentia ſecundùm ſpeciem tanquam certum aſſeuerauit S. Hier. epiſt. 11. relata inter epiſtolas S. Auguſtini. *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria. Inter vtrumq; indifferens, ambulare; capitis, naribus purgamenta proijcere, ſputis reumata jacere. Hoc nec bonum, nec malum eſt. ſiue enim feceris, ſiue non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam.* Quæ licet congruunt rectæ rationi, non congruunt tamen illo modo congruentiæ, de quo loquimur, ſcilicet vt inde habeant laudem vt proſit homini ad vltimum finem conſequendum.

Punctum 2dum. Actio, quæ non procedit à ratione deliberata, vt fricare barbam ſine animaduertentia, eſt indifferens in indiuiduo. Siquidem eſt extra genus moris, hoc enim relatione quadam ad deliberationem continetur.

Pun. 3tium. Omnis actus à deliberata ratione procedens eſt bonus vel malus in indiuiduo. Nam omnis actus à deliberata ratione procedens vel habet bonũ finem, vel nõ habet bonũ finem; ſi habet, bonus eſt, ſi non habet, malus eſt. Nam omne Verbũ, & à potiori factum, carens bono fine, otioſum eſt, ergò & malum, vtporè de quo ſeuerè exigitur ratio in die judicii. *Amen dico vobis, omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Matt. 12.

Pun. 4tum. Porrò Verbũ, & à fortiori factũ, quod caret fine bono eſſe otioſum [& quia otioſum ideò malũ] palàm eſt in confeſſo. *Otioſum verbum eſt, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis caret.* Greg. hom. 6. in Euang. *Omne verbum quod non conducit ad propoſitam in Domino voluntatem, vanum & otioſum eſt.* Baſil. in qq. compendio explicatis qu. 23. *Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Matt. 12. ſcilicet vel ad pœnam æternam, vel temporalem purgatorij. Idem nõ modò de verbis externis, ſed etiam de cogitationibus animi, quæ ſunt quædam verba interna, ſenſus eſto. *Ex ore, inquit Chriſtus, tuo juſtificaberis, & ex ore tuo cõdemnaberis, os volens intelligi non hoc viſibile, ſed interius inuiſibile, cogitationis & cordis.* S. Aug. l. 9. de Trin. c. 9. Igitur quicunq; actus ſeu oris ſeu cordis caret fine bono, indifferens non eſt, ſed malus. Ratio enim homini data eſt, vt propter finẽ rationi conſonũ agat. Quare 1. Cor. 10 Apoſtolus nos finis vltimi monet. *Omnia in gloriam Dei facite.* Et D. Aug. l. 1. de doctrina Chriſtiana c. 4. jubet nos creaturis vti propter Deũ. *Creaturis non eſt fruendũ tanquam vltimo fine, ſed ſolo Deo, creaturis verò eſt vtendum, tanquã medijs, quæ nos ducunt ad Deum,* Et lib. 10. de Trin. c. 10. *Vtimur his, quæ ad aliud referimus, quo fruendum eſt.*

THEOLOGICÆ SS. PATRVM
E T
DOCTORVM ECCLESIÆ, ASSERTIONES.
De Vitiis & Peccatis.

Propugnatæ ab eodem qui supra.

Præside R. P. Martino Kretzmer Societatis Jesv, Sacræ Theologiæ Doctore, &c.

1ma De quidditate peccati, ejusq; differentia à Vitio.

Punctum 1mum. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* Aug. lib. 22. contra Faustum c. 27. Porrò per *dictum & factum* tanquam ex opposito, intelligitur etiam *non dictum, & non factum*, & consequenter peccatum omissionis. D. Thomas hîc art. 6. ad 1. Vel, *Peccatum est voluntas retinendi & consequendi id, quod iustitia vetat, & vnde liberum sit abstinere.* S. Aug. in lib. de duabus animabus contra Manich. c. 11. Vel, *Peccatum est legis transgressio.* Idem lib. 2 de consensu Euangelist, c. 4. ita & D. Ambr. lib. de Parad. c. 8. *Quid aliud est peccatum, nisi diuinæ legis transgressio, ac cælestium inobedientia mandatorum?*

Punctum 2dum. Peccatum differt à vitio. Est enim vitium quædam qualitas habitualis, peccatum, actualis. *Rapina actus est, auaritia vitium est, id est, qualitas, secundùm quam malus est animus, etiam quando nihil agit,* Aug. lib. de perfect. iustitiæ, in responsione ad ratiocinationē 4. Cælestij. Cæterùm latè sumptum vitium, dici potest quilibet defectus & peccatum. *Quod naturæ perfectioni deesse conspexeris, id vocas vitium.* Aug lib. 3. de libero arbitrio c. 14.

Punctum 3tium. Peccatum mortale non potest consistere cum virtutibus, vt sunt informatæ gratiâ & charitate. *Habebat anima arcam intra se, & duos Cherubim, id est fidem Patris & Filij, Spiritûs Sancti sitam. Sed nunc* (scilicet post peccatum) *nihil eorum apparet. Ablata sunt hæc cuncta, nudataq; est domus Dei ornamentis suis, cunctisque, quæ diuinitùs consecuta fuerat, spoliata muneribus.* Hieron. præfat. in Lament. Hier. Loquitur autem de fide & alijs virtutibus, vt erant per charitatem formatæ, quo pacto amittuntur omnes per peccatū mortale: licet maneant informes, fides spes, & aliæ virtutes acquisitæ. D. Thomas hîc.

2da De Diuiſione & differentia peccatorum.

Punctum 1mum. Peccatum aliud eſt originale, de quo Paulus Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Aliud eſt perſonale, de quo Ioan. 8. *Omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati* Et Eccl. 21. *Fili peccâſti, non adijcias iterum.*

Punctum 2dum. Porrò peccatum perſonale aliud eſt actuale, de quo Ioan. 1. epiſt. c. 3. *Omnis, qui facit peccatum, non eſt ex Deo.* Aliud habituale, de quo idem cit. loco. *Et ſcitis quoniam in hoc ille apparuit, vt tollat peccata noſtra:* quæ ſcilicet adhuc in modum habitûs in nobis manent. Item Eſaias c. 72. *Hic eſt omnis fructus, vt auferatur peccatum.* Item David Pſal. 50 *Et à peccato meo munda me.* Nam actuale peccatum cùm ſtatim deſinat, non tollitur poſtea velut aliquid in animo hærens, ſed in modum habitûs perſeuerans. A quo etiam denominatur peccator, poſt iam peractum peccatum.

Punctum 3tium. Rursùs quædam peccata ſunt mortalia, quædam venialia. Nam quæ Deum ita grauiter offendunt, vt hominem exuant vitâ ſupernaturali gratiæ, nominantur Mortalia, de quibus 1. Ioan. 3. dicitur. *Qui non diligit, manet in morte.* Et Rom. 8. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, ſi autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis* De huius generis peccatis pronuntiat Apoſtolus ad Gal. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Peccata autem venialia ſunt, quæ non ita grauiter Deum offendunt, ſed communicationem charitatis mutuæ, & expeditum amicitiæ vſum inter Deum & hominem remorantur, & præpediunt. De Venialibus inquit D. Ioannes 1. Epiſt. c. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Et D. Iacobus c. 3. *In multis enim offendimus omnes.* Bene etiam mortale peccatum à veniali diſtinguitur per diuerſitatem pœnæ. Nam mortali per ſe eſt decreta pœna æterna, *quæ eſt veluti mors irreparabilis.* D. Thomas qu. 72. art. 5. Veniali autem peccato conſtituta eſt pœna temporalis. Quare etiam ideò venialia dicuntur, quia facilè veniam eorum impetrare, & obligationem ad pœnam, quæ illis eſt annexa, delere poſſumus. Neq; enim tollunt gratiam & charitatem, quibus retentis facilè jacturam ſpiritualem poſſumus reparare.

Punctum 4tum. Peccata alia ſunt propriè & ſpecialiter contra Deum, alia contra proximum; Primi generis peccata ſunt, quæ aduerſantur virtutibus, quarum ſcopus peculiariter eſt Deus, cujuſmodi virtutes ſunt Theologicæ & Religio; ſecundi generis peccata ſunt, quæ iuſtitiam violant, & alias virtutes ad proximum pertinentes. *Duo ſunt genera peccatorum. Vnum, quo in Deum: Alterum, quo in hominem peccatur. Vnde etiam duo ſunt præcepta illa, in quibus tota*

lex

lex pendet & prophetæ. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Et in his continetur decalogus præceptorum legis. Vbi tria præcepta pertinent ad dilectionem Dei, septem ad dilectionem proximi. Quomodo ergò duo sunt præcepta, sic & duo genera peccatorum. Aut enim homo in Deum peccat, aut in hominem. Peccatur autem in Deum etiam corrumpendo templum eius in se.* Beda in c. 6. epist. 1. ad Cor.

Punctum 5tum. Peccata alia sunt commissionis, alia omissionis. Illa sunt contra præceptum negatiuum, hæc contra positiuum. De peccatis omissionis inquit S. Iacobus cap, 4. *Scienti verò bonum, & non facienti, peccatum est illi.* De peccatis commissionis sæpè agit S. Scriptura dum actiones quasdam prauas damnat. *Quidam ipsorum fecerunt, quod placeret Deo, alij autem multa commiserunt peccata.* Eccl: c. 48. Eandem differentiam peccati ponit D. August. qu. 20 in Leuit. exponens illud Leuitici. 7. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto.* Vbi nomine peccati arbitratur intelligi peccatum commissionis, nomine autem delicti, peccatum omissionis: *Vt quemadmodum in laudabili vita, aliud est declinare à malo, aliud facere bonum.* Psal. 36. *ita in damnabili, aliud sit declinare à bono, aliud facere mala, & illud delictum, hoc peccatum sit. Nam quid aliud sonat delictum, nisi derelictum?* August. cit. loco. Eandem interpretationem posuit Origenes in eadem verba Leuitici 7. *Scio & illam differentiam, quæ nonnullis sapientum visa est, quòd delictum quidem sit, cùm non facimus ea, quæ facere debemus, peccatum verò sit, cùm committimus ea, quæ committere non debemus.*

3tia De Inæquali grauitate peccatorum.

Punct: 1mum. Hæresis, Iouiniani est, *omnia peccata esse paria. Iouinianus omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat.* Aug. lib. de hæres. c. 82. *Verùm hoc de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani.* Aug. epist. 29. ad S. Hier. Sensus hic etiam est sacrorum eloquiorum: quæ majori grauitati peccati, grauiores decernunt pœnas. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Deut. 25. Neq; ira leuior, grauiorq; contumelia & calumnia ijsdem vapulant supplicijs. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatuè, reus est gehennæ ignis.* Matt. 5. Nec populi electi iniquitas æqualis fuit, cæterorum peccatis. Nam *iniquitas Israël & Iudæ magna est nimis valde.* Esech 9. *Hinc discimus non vt pleriq; æstimant, & maximè Stoici, paria esse peccata, sed vel magna vel parua, & pro qualitate mensuraq; peccantium, diuersitatem esse judicij punientis.* S. Hier. in cap. 9. Esechiel.

Punctum 2dum. Inæqualitas peccatorum metienda est. Imò, *ex conditione objecti magis vel minus rationi repugnantis.* D. Thomas articulo 3. 2dò,

ex digni.

ex dignitate ac perfectione virtutis, cuius sunt priuationes. Diuus Thomas articulo 4. 3tiò, *ex natura & conditione ipsius actûs peccati. Vnde peccata spiritualia cæteris paribus, grauiora sunt, quàm carnalia.* D. Thomas ar. 5. 4tò, *ex causa peccati. Nam peccatum ex malitia grauius est, quàm ex ignorantia aut passione.* D. Thomas art. 6. 5tò, *ex dignitate personæ in quam peccatur. Quare peccata quatenùs Deum maiestatis infinitæ offendunt, habent quandam infinitatem.* D. Thomas art. 9. 6tò, *ex dignitate personæ peccantis. Nam hæc dignitas cæteris paribus auget peccatum, eò quod sit cum majori ingratitudine conjunctum, si à persona digniori, quæ plus Deo debet, committatur.* D. Thomas art. 10. 7mò, *ex nocumento, quod aut sibi, aut alteri peccans infert, si tamen id præuideri potuerit ac debuerit, vel certè sit per se ex peccati genere consequens.* D. Thomas, q. 2. art. 2. 8uò *ex ratione legis magis vel minùs strictæ, ob legislatoris intentionem obligantis.* Hinc peccatũ primi parentis circa materiã leuẽ, scilicet esum pomi commissum, fuit nihilominùs grauissimum quia contra grauem legis comminationem. *In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris,* Gen. 2. 9nò. *ex circumstantijs.* D. Thomas art. 7.

4ta. De motibus appetitûs sensitiui.

Punct. 1mum. In sensualitatis motu non peccatur, nisi ei voluntate consentiatur. Reclamant sectarij huius temporis, Caluinus & Lutherus, sed damnauit illos Trid. sess. 5. vbi explicuit: *concupiscentiam in renatis manere ad agonem, atq; adeo ad meritum & coronam, ijs, qui fortiter eidem resistunt &c. neq; non consentientibus posse nocere.* Et quomodo noceat, siquidem liberum est homini, etiam in hac corruptione naturæ abstinere à quouis peccato. *Voluntariè peccantibus nobis &c.* Hæbr. 10. *Vsq; adeò peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* S. Aug. lib. 1. retract. c. 13. Item l. de vera relig. c. 14. & l. 3. de lib. arbitr. c. 18. & l. contra Secundinum Manichæum cap. 15. & 16.

Punct. 2dum. Quare potest Deus infundere habitum vitiosum per accidens inclinantem ad peccatum. *Sicut enim non editur partus peccati in concupiscentia, nisi ad motus eius, quibus abstrahimur & illicimur, accesserit voluntatis consensus, qui faciat ipsam concupiscentiam concipere & parere peccatum,* S. Aug. lib. 5. contra Iulianum c. 3. *Nam vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: concupiscentia autẽ cùm cõceperit, parit peccatũ.* Iacobi 1. Ita in ipso per se motu vel inclinatione habitûs vitiosi, sine aliquo alio motu & consensu animi peccatum non datur. Nam ad euitandum peccatum, imò ad fructuosè operandum sufficit, si *post concupiscentias tuas non eas.* Eccl. 18. neq; sequaris prauos vitij motus. *Nam si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, tradet te inimi-*

 cis &

cis & inuidis tuis. Eccl. 18. *Si acquieueris illi & consenseris in illius cupiditates prauas, tradet te diabolo & Angelis eius, qui sunt inimici & inuidi nostri.* S. Aug. Igitur *inuitus nemo peccat.* Cypr. in serm. de Bapt. Christi. *Nemo tenetur ad culpam, nisi propriâ voluntate deflexerit. Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus.* Ambr. l. 1. de Iacob & vita beata c. 3.

Punctum 3tium. Licet verò habitus ex se inclinaret ad peccatum, Deus tamen illo mediante non inclinaret: quia nec expressè nec virtualiter aut interpretatiuè suam intentionem inclinanti vitio accommodaret: Vnde nec esset causa peccati per se, sed præcisè per accidens. Sicut verò non repugnat Deo esse causam simpliciter determinantem ad cognitionem intentam, quæ repræsentet delectabilitatem in esu perdicis die prohibito, ita nec repugnat infundere habitum vitiosum, qui non minùs inclinaret ad obiectum prohibitum, quàm cognitio.

Punctum 4tum. Non potest tamen Deus infundere habitum vitij in substantia supernaturalem. Tum quia non potest Deus esse causa specialis & propria rei ad malum per se inclinantis: Tum quia omne instrumentum artificis proprium, debet per se posse intendi ab artifice, & ad finem suum primarium ordinari; quod cùm repugnet Deo respectu talis habitûs, repugnabit quoq; illum à Deo infundi. Neque sufficit, quòd fortè talem habitum posset ordinare ad puniendum subiectum, quia hic est finis secundarius & extrinsecus tantùm.

5ta De ignorantia Dei, vel legis Diuinæ.

Punctum 1mum. Si Deus aut lex eius inuincibiliter ignoretur, nullum committitur peccatum Theologicum. Ad hoc enim requiritur, vt sit formalis vel virtualis contemptus Dei, contemptus autem Dei esse non potest, si Deus inuincibiliter ignoretur. Nihil enim volitum nisi cognitum. Nam *Peccatum est voluntaria iniustitia & contemptus Numinis; non imputantur, quæ non constant & instituto & libera electione.* Clemens Alex. lib. 2. strom. Vnde *nec boni nec mali merces iuste pensatur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.* Tertul. l. 2. contra Marc. Atqui non voluntate, sed necessitate quadam & quidem antecedente ignorat, qui ignorat Deum vel legẽ eius inuincibiliter, ergo non potest ei esse voluntarium peccatũ Theologicum. Vnde *si motus concupiscentiæ in corpore dormientis non est peccatum, quantò magis non est in corpore non consentientis.* Aug. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 25. At verò in mente ignorantis Deum inuincibiliter cùm nullo modo sit consensus in sempiterni Numinis offensam, quomodo culpa erit? *Nemo tenetur ad culpã, nisi propria voluntate deflexerit.* Ambr. lib. 1. de Iacob c. 3. si scientis manu, qui membris tamen cæteris constrictus esset, quispiam valentior, aliquid fecisset mali, nemo manum inuitam culpæ accusaret, quomodo in mentem inextricabili vinculo ignorantiæ Dei constrictam, culpa cadat?

Punctum

Punctum 2dum. Vincibilis ignorantia, quæ consequens & voluntaria dicitur, non excusat à peccato: De hac dicitur Num. 15. *Si anima nesciens peccauerit, offeret capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inscia peccauerit coram Domino.* Item Isaiæ 5. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Item Actor. 3. *Et nunc fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis.* Et 1. ad Cor. 2. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam à Domino consecutus sum, quoniam ignorans feci in incredulitate.*

6ta De Peccato veniali & mortali.

Punctum 1mum. Peccata venialia consistunt cum gratia diuina. Tum quia *septies in die cadit iustus.* Prou. 20. Tum quia *non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Vnde etiam Eccl. 7. dicitur. *Si quis ædificauerit super fundamentum hoc lignum, fænum & stipulas, saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* quo loco per lignum; fænum, & stipulas significantur peccata venialia, vt asserit D. Ambr. serm. 20. in Psal. 118. & S. Aug. lib. 2 de ciuit. c. 26. & Greg. lib 4. dial. c. 39. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Ioan. 1. Vbi Ioannem loqui de peccatis iustorum, quæ cum diuina gratia stare possunt, asserit S. Aug. lib. de natura & gratia c. 36. *Excepta Virgine Maria, si omnes Sanctos & omnes sanctas, cùm hîc viuerēt cōgregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato; quantalibet fuerint excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vnâ voce clamâssent; si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et Iacobi 3. *In multis enim offendimus omnes.* Igitur etiam ij, qui in diuina gratia & amicitia persistunt, peccant quandoq; venialiter, *Quidam filij huius sæculi sunt; & tamen filij diaboli non sunt. Quamuis enim diabolus sit author & Princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunq; peccata. Peccant enim & Filij Dei, quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt, & veritas in eis non est,* Aug. lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum c. 3. Vnde in Bulla Gregorij XIII. anno 1579. edita hic articulus inter alios recitatur & damnatur. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Punct. 2dum. Peccatum mortale est transgressio perfectè libera præcepti diuini grauiter obligantis. Porrò præceptum grauiter obligans est, quod rem magni momenti præcipit aut prohibet, siue quod prohibet rem notabile damnū afferentem; vel ad aliquid obligat, quantum potest, v. g. sub pœnis æternis, amissione gratiæ diuinæ &c. Vt verò transgressio præcepti sit perfectè deliberata, debet cognitio indifferens obiecti præcepti vel prohibiti magis esse clara & distincta, quàm sit in semiebriis, semidormientibus vel semistultis.

Punct. 3tium. Dantur peccata mortalia præter peccatũ infidelitatis. *Si quis dixerit nullum esse peccatum mortale præter peccatum infidelitatis, aut nullo alio quantumuis graui & enormi præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.* Trid. sess. 6. can. 27. De mortalibus peccatis ait D. Apostolus Rom. 8. *Prudentia carnis, mors est*, & post: *si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Item 1. Cor. 6. *Vos iniuriam facitis & fraudatis,& hoc fratribus: An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Et Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Item Apostolus ad Gal. 5. referens opera carnis, subiungit. *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

7ma. De mutabilitate peccati venialis in mortale & è contra.

Punct. 1mum. Peccatum mortale, quod fertur reflexè in ipsam prohibitionem grauem, potest transire in veniale per mutationem legis. *Quia grauitas peccati desumitur ex oppositione cum lege, quæ si ex voluntate Legislatoris mutetur ex grauiter obligante in obligantem leuiter, transibit quoq; peccatum ex mortali in veniale.* Contra verò accideret, si peccatum reflexè ferretur in prohibitionem grauem. Nam *tale peccatum ex modo tendendi semper respicit legem grauiter obligantem.*

Punct. 2dum. Peccatum veniale ex obiecto ob paruitatem materiæ, quam determinatè ex modo tendendi respicit, non potest fieri mortale ex obiecto. *Deberet enim quantitatem materiæ & consequenter obiectum mutare, quod fieri repugnat.* Potest verò peccatum ex natura sua veniale per accidens transire in mortale ex adiuncta aliqua circumstantia: vt si *mendacium ex natura sua leue, committatur cum præuisione grauis damni consecuturi.* Potest etiam veniale transire in mortale ratione finis vltimi, vt si *quis in re leui constituat sibi suum finem vltimum, posthabito Deo.*

Punct. 3tium. Ex quantacunq; multiplicatione venialium non consurgit mortale peccatum. Tum quia *Multiplicatio numerica non constituit actum in alia altiori specie.* Tum quia *res in altiori ordine simpliciter posita, quale est peccatum mortale respectu venialis, non potest per multiplicationem rerum inferioris ordinis adæquari.* Tum quia *multiplicatio venialium, auget malitiam peccati tantùm extensiuè, verò intensiuè* Tum quia *non potest certus numerus venialium assignari, quo posito consurgat mortale.*

8ua. De Peccato Commissionis.

Punct. 1mum. Malitia peccati commissionis non consistit in priuatione rectitudinis debitæ actui. *Sæpe enim actus peccaminosi sunt incapaces rectitudinis v. g. odium Dei, blasphemia, mendacium: quomodo ergo horum malitia consistat in priuatione rectitudinis impossibilis? cùm tamen priuatio sit negatio formæ in subiecto capaci.*

capaci. *Neq; potest dici actus peccaminosos esse capaces rectitudinis secundùm rationem genericam, licet non sint capaces secundùm rationem specificam.* *Quia ratio generica est realiter identificata rationi specificæ, vnaq; indiuisibilis entitas, ergò si secundùm rationem specificam actus essentialiter malus non est capax rectitudinis, neque erit capax secundum rationem genericam, & è contra, si est capax rectitudinis realis & positiuæ secundùm rationem genericam, etiam erit capax secundùm rationem specificam.* Accedit, *quod ratio generica non inducat priuationem vel capacitatem physicam recipiendi formam oppositam, sed tantùm indifferentiam Logicam, vt possit ratio generica contrahi ad hanc vel illam speciem: neq; enim licet animal sit indifferens, vt contrahatur ad hominem vel brutum, sequitur, quòd homo sit priuatus perfectione asini, quia scilicet animal est genericè indifferens ad esse asini. Sic nec actus voluntatis v. g. misericordiæ dicitur priuatus perfectione iustitiæ, licet in ratione actûs vitalis & virtuosi sit indifferens ad rationem iustitiæ.*

Punct. 2dum. Malitia peccati commissionis non consistit in priuatione perfectionis debitæ, voluntati aut conscientiæ vel legi diuinæ. Tum quia *actus peccaminosus expellit actum bonum ex voluntate, non minùs quàm frigus expellit calorem, ergò actus malus intelligitur prius constitutus in esse peccati, quàm voluntas, aut lex, vel conscientia intelligantur priuari debitis actibus. Causa enim est prior suo effectu, ergo peccatum, quod expellit actum bonum, est prius priuatione actûs boni.* Tum quia *perfectio debita voluntati est actus bonus: Atqui malitia peccati commissionis potest non consistere in priuatione actûs boni debiti voluntati, v. g. malitia odij Dei potest non consistere in priuatione actûs charitatis debitæ voluntati. Quia potest quis odisse Deum, quando non obligatur præcepto affirmatiuo diligendi Deum, ergo tunc malitia odij Dei non consistit in priuatione actûs charitatis debiti voluntati.*

Punct. 3tium. Malitia peccati commissionis non consistit in priuatione gratiæ. *Non enim potest in eo formaliter consistere, quod consequitur ad malitiam peccati tanquàm effectus: at verò priuatio gratiæ consequitur malitiam peccati tanquam effectus. Nam ideò homo spoliatur gratia, quia peccauit, ergo malitia peccati commissionis non consistit in priuatione gratiæ. Imò malitia peccati venialis commissionis componitur cum gratia, ergo malitia peccati commissionis vt sic, non potest constitui in priuatione gratiæ.* Neq; sufficit dicere, per peccatum veniale induci feruoris, charitatis, & auxiliorum abundantium priuationem. Quia hæc sunt posteriora peccato veniali, ergo per ea constitui non potest; nil enim dum est, constitui potest per id, quod tunc nondum est.

Punct. 4tum. Nec inadæquatè consistit formaliter, malitia peccati commissionis in negatiuo. *Quia in illo nec inadæquatè consistere formaliter potest. quod supponit iam constitutam malitiam peccati commissionis, atqui negationes rectitudinis cuiuscunq; ad actum positiuum naturaliter consecutæ, supponunt totam malitiam*

peccati commissionis. Nam supponunt totam libertatem consumatam, non minus ac non esse Leonis supponit totam essentiam hominis, ergo malitia peccati commissionis etiam inadæquatè non potest formaliter consistere in aliqua priuatione &c. Tum quia *carentiæ rectitudinis naturaliter consecutæ, nullam habent formalem libertatem, ergo sicuti actus externus non constituit malitiam formalem, quia supponit consumatam libertatem & nullam habet propriam libertatem, ita quoq; carentiæ rectitudinis ob eandem rationem non constituunt malitiam formalem.*

Punct 5tum. Licet verò soleamus peccatum commissionis explicare per carentiam rectitudinis, quod perquam familiare est SS. Patribus, ex eo tamen non infertur, re ipsâ & formaliter constitui peccatum commissionis per negationes. Sicuti licet aseitatem diuinam soleamus explicare per negationem productionis vel dependentiæ ab alio; item intimam rerum præsentiam per indistantiam, quæ tamen nihil aliud est, quàm ipsæ res positiuæ cum suis præsentijs positiuis; item punctum per negationem diuisibilitatis in partes, omnia tamen hæc constituuntur prædicatis positiuis. Accedit, quod SS. Patres explicantes peccatum per negationes, videntur non de formali & constitutiuo peccati loqui, sed de eo, quod consequitur, seu de effectis peccati, quæ proculdubio sunt priuationes non tantùm rectitudinis, sed etiam gratiæ & gloriæ. Dum verò peccatum nil esse afferunt, loquuntur de vilitate peccati, quod comparatione aliarum rerum, & potissimùm summi Boni, quod homo peccando postponit rei creatæ, nil est in æstimatione prudenti Sanctorum, Quare nil, & non ens, rectè peccatum dicitur, non in genere physico sed morali seu æstimatione prudentum. Sicut etiam respectu Dei omnes gentes, imò orbis vniuersus nil esse dicuntur. Isaiæ 40. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Adextremùm SS. Patres non rarò peccatum per positiuos conceptus definiunt, sicut S. Aug. *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.* Consistit igitur malitia peccati commissionis adæquatè in positiuo actu; Tum quia *illud est formaliter malitia & peccatum, quod immediatè in se opponitur legi, seu quod lex prohibet: Atqui lex negatiua prohibet actum positiuum v. g. furtum. Ergo actus positiuus immediatè in se est formaliter peccatum.* Tum quia *ponere liberè vi determinati concursûs causam priuationis rectitudinis, est formaliter malum; Atqui actus positiuus ponitur liberè, & vi determinati à voluntate concursûs est causa priuationis rectitudinis. Ergo actus positiuus est formaliter malus. Porrò actum positiuum esse causam illatiuam priuationis debitæ rectitudinis est in confesso, cùm bene v. g. ex odio Dei inferatur priuatio rectitudinis.*

9na De Peccato Omissionis.

Punctum 1mum. Dabilis est ex natura rei pura omissio libera. Nam *scienti bonum*

ti bonũ & non facienti, peccatũ est illi. Iacobi 4. Atqui purè libereq; omittens bonũ est sciens bonum & non faciens. Ergo purè libereq; bonum omittenti peccatum est illi. Idem constat Matth. 3. & 7. *Omnis arbor, quæ non facit bonos fructus, eradicabitur.* Et Lucæ 12. *Seruus sciens voluntatem Dñi: & non faciens, vapulabit multis.* Ergo non faciens seu omittens voluntatem Domini peccat. Non enim vapularet multis, si non peccâsset multùm, cùm pœna supponat culpam. Et certè quis dicat *filium, qui videt Patrem fame morientem, non esse dignum pœnâ, dummodo negatiuè se habeat, nullumq; positiuum actum eliciat non subueniendi Patri. Porro puram omissionem hîc appello, quæ est absq; vllo actũ voluntatis illam inducente, seu incompossibili cum actu positiuo, cui omissio positiuè opponitur, neq; imperatur aliquo alio actu directo. Alio quoq; sensu pura omissio solet appellari, videlicet si voluntas cesset liberè ab omni actu.*

Punctum 2dum. Omissio libera procedit à cognitione. *Implicat enim libertas ad omittendum sine cognitione, per quam vltimò completur & constituitur voluntas libera. Ergo implicat quoq; dari omissionẽ liberam sine cognitione. Nã implicat omissio libera sine libertate; sed cognitio est quid pertinens tanquam constitutiuum libertatis. Ergo implicat omissio libera sine cognitione.*

Punct. 3tium. Influere cognitionem in omissionẽ, seu omissionem depẽdere à cognitione, non tantùm dicit coexistentiam cognitionis proponentis motiuum ad omittendum, & ipsam omissionem, sed etiam dicit negationem detestationis motiui, quod cognitio proponit. *Quia motiuum, quod voluntas detestatur, non potest in eodem instanti mouere efficaciter voluntatem, alias actu prosecutionis & fugæ versaretur voluntas circa idem formale motiuum.* Præterea requiritur, ne cognitio coexistẽs omissioni sit naturâ posterior ipsâ omissione, quod fieret, si Deus ex præuisione omissionis cognitionem infunderet, vel ad eam determinaret; tunc enim licet cognitio coexistet omissioni, non tamen in illam influet. *Quia, vt cognitio influat in omissionem, debet esse prior omissione: In præsenti verò suppositione cognitio est naturâ posterior omissione. Ergo non potest influere in omissionem.* Insuper, vt cognitio per modum actûs primi possit influere in omissionem v. g. amoris, requiritur negatio qualitatis prædeterminantis, & decreti prædefinitiui incompossibilis cum amore, seu destructiui libertatis ad amandum vel omittendum. *Quia si voluntas independenter à cognitione est prædeterminata ad non esse amoris, omissio amoris non potest esse libera, consequenter cognitio non poterit per modum actûs primi influere in ipsam omissionem vt liberã.* Hinc colligitur plures cognitiones, etiã repræsentantes obiecta incõpossibilia, potentes influere in omissionem, si coniungantur cum omissione omnes simul per modum vnius principij adæquati; & singulas per modum principij inadæquati influere. Porrò sicuti actus imperatus dependens à duobus imperijs, si vno ablato permaneat

coexistens

coexiſtens alteri actui imperanti, iam dependet ab illo adæquatè per aliam cauſalitatem: ſic omiſſio coexiſtens duabus cognitionibus, ſi vnâ ablatâ permaneat coexiſtens alteri cognitioni, iam ab illa ſola adæquatè dependet per aliam cauſalitatem.

Punct. 4tum. Omiſſio dependens à duobus motiuis oppoſitis reſpicit illa, tanquam fines ſub diſiunctione exercendos, vt *ſi quis omittit Sacrum die Dñico, propoſito ludo & mercaturâ, ſub diſiunctione exercendis.* Idem cõtingit in alijs actibus poſitiuis, vt ſi quis emat librum ex intentione illum legendi, vel donandi amico.

Punct. 5tum. Omiſſio nullum habet motiuum intrinſecum, ſicuti habet actus poſitiuus, ſed tantùm extrinſecum, & quaſi interpretatiuum & virtuale. *Quia nimirum dependet à cognitione illud proponente. Cognitio enim nullo alio modo ad omiſſionem liberam allicit quàm applicando obiectũ, vt cuius trahatur voluntas, ad omiſsionem, & retrahatur ab actu oppoſito illius. Ergo hoc modo habet motiuum extrinſecum & interpretatiuum.*

Punct. 6tum. Actus, qui eſt Cauſa omiſſionis culpabilis etiamſi aliàs in ſe bonus ſit, eſt peccatum. Actus enim, qui eſt Cauſa peccati, eſt & ipſe peccatum. Actus verò, qui ſe tantùm concomitanter habet ad omiſsionem, etiamſi aliàs ſit incompoſsibilis cum executione præcepti non eſt peccatum, Quia non eſt cauſa peccati. Nam cauſa peccati debet eſſe prior naturâ ipſo peccato. Cùm ergo talis actus merè ſe habeat concomitanter ad omiſsionẽ, neq; illam aut ex natura rei, aut ex intentione operantis antecedat, culpabilis non eſt.

10ma. De peccato Originali.

Punct. 1mum. Datur peccatum originale ab Adamo in poſteros transfuſum. *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Rom. 5. Porrò peccatum originale conſiſtit in transfuſione noſtræ voluntatis in voluntatem Adami, in ordine ad obſeruationem præcepti. & in actuali Adami vt capitis noſtri violatione poſiti præcepti. Quomodo enim *vnius delicto multi mortui ſumus?* Rom. 5. *& per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi?* Rom. 5. niſi noſtra voluntas fuiſſe transfuſa in voluntatem capitis præuaricantis. Vnde S. Aug. lib. 2. de Nuptijs & concup. c. 5. ait. *Per vnius illius voluntatem malam omnes in eo peccauerunt, quando omnes vnus fuerunt.* Vnus autem quomodo poterant eſſe omnes, niſi transfuſione omnium voluntatum in vnius voluntatem? Quare anathematizat Conc. Trid. ſeſſ. 5. n. 2. docentes *Adæ præuaricationem ſibi ſoli & non eius propagini nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem & iuſtitiã, quam perdidit ſibi ſoli & non nobis etiam eum perdidiſſe &c:* Ex quibus conſtat originale peccatum non in ſola Adæ voluntate poſſe conſiſtere, niſi

quoq;

quoq; in eiuſdem voluntatem, poſterorum voluntates cenſeantur fuiſſe transfuſæ. Id ipſum Trid. aſſerit. n. 3. ſeſſ. eadem, in qua peccatum originale aſſerit eſſe peccatum Adæ. *Hoc peccatum Adæ, quod origine vnum eſt, & propagatione non imitatione transfuſum, omnibus ineſt, vnicuiq; proprium &c.* Lapſus enim in venialia peccata eſt proprius effectus originalis ob infirmitatem contractam ex defectu originalis iuſtitiæ. Deinde *ſi propter honorem Domini quem peperit*, vt ait idem S. Aug. lib. 5. contra Iulian. c. 9. *Non debuit vel minimo maculari Sancta Virgo veniali*, multò minùs maculari debuit peccato originali, quod eſt vera mors animæ, & longè veniali deterius.

Punct. 2dum. Eſt autem transfuſio voluntatis vnio moralis, voluntatis alicuius membri cum voluntate alterius, qui eſt caput conſtitutus, ita vt operatio phyſica capitis cenſeatur moraliter eſſe operatio membri. *Poteſt verò hæc trasfuſio fieri, & fit ſine conſenſu illorũ, quorum voluntas transfunditur.* Sic *pupilli voluntas per legẽ vel magiſtratum, ſine eiuſdem conſenſu transfunditur in voluntatẽ tutoris. Potiorè iure tale ius diſponendi Deo abſoluto omnium & ſupremo Domino concedi debet, quod ſcilicet non dependeat à conſenſu ſubditorum.*

Punct. 3tium. *Peccatum originale, quod dixi committi in capite aliud eſt actuale, aliud habituale. Habituale eſt moralis perſeuerantia peccati originalis actualis. Perſeuerantia verò moralis, conſiſtit in peccato originali actuali abſoluto & carentia condonationis, atq; æqualis ſatisfactionis, reſpectu inſtantis quo primùm exiſtit homo, dependenter ab Adamo, & hoc eſt à peccato originali actu infici, & maculam originalem contrahere. Debitum verò proximum contrahendi maculam eſt peccatum originale actuale abſolutum. Debitum verò remotum eſt peccatum originale actuale conditionatũ. Quare ſi Deus Petro v. g. pro primo inſtanti exiſtentiæ illius condonâſſet peccatum originale actuale abſolutum, infundendo illi gratiam aut per puram condonationem, contraxiſſet quidem debitum proximum, ſed maculam peccati originalis non habuiſſet neq; ab illo infectus fuiſſet Rectè verò hanc maculam originalis peccati appellat nuditatem quandam, & deformitatem, quæ ſecum inuehit in animas poſterorum priuationem iuſtitiæ originalis.* S. Anſelm. lib. de conceptu Virginis c. 26. *Hoc peccatum quod originale dico aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi ipſam quam ſupra poſui, factam per inobedientiam Adæ, iuſtitiæ debitæ nuditatem.* Cæterùm Theologicam de peccato originali controuerſiam concludo dicto S. Aug. l. de moribus Eccleſiaſticis. *Peccato antiquo, nihil eſt ad prædicandum promptius, nihil ad explicandum difficilius.*

Punct. 4tum. *Quod attinet B. Virginem Deiparam, eam in decreto de originali peccato includere non eſſe ſuæ intentionis expreſſe declarat Conc. Trid. ſeſſ. 5. numer. 5. Quare ſpeciali Dei priuilegio, in iniquitatibus concepta non eſt, & in peccatis non concepit eam Mater ſua.* Et certè cum nunquam vllum peccatum veniale admiſerit,

miserit, teste Sancto Augustino lib. de natura & gratia c. 36. & Conc. Trid. sess. 6. can. 23 non contraxit quoque originale, Præterea rectè inferunt Sancti *ex festo Natiuitatis B. Virginis ab Ecclesia instituto, illam natam fuisse sine originali. Ergo pariter ex festo Immaculatæ Conceptionis, rectè inferimus illam esse conceptam esse. sine peccato originali.* Ad extremum Concilium Trident. declarauit *non esse contra fidem B. Virginem à generalibus scripturæ, circa hanc rem, locutionibus excipere: Nam excipitur defacto ab alijs locutionibus generalibus de peccatis actualibus v. g. non est homo, qui non peccat.* 2. Paralip. 6. *in multis offendimus omnes.* Iacob. 3. Ergo & ab alijs de originali peccato.

Punct. 5tum. Beatissima Virgo non tantùm à peccato originali sed etiam à debito proximo illud contrahendi fuit immunis. *Non minùs enim hæc prærogatiua pertinebat ad Virginem Deiparam, quàm prior, cum & posset pertinere & conuenientissimè eam deceret.*

11ma. De peccato Habituali.

Punct. 1mum. Peccatum habituale consistit in actu præterito, in carentia condonationis diuinæ, & in carentia æqualis satisfactionis. *Peccatum enim habituale est perseuerantia moralis actualis peccati, Atqui hæc constituitur per actum præteritum, carentiam condonationis, & æqualis satisfactionis. Ergo peccatum habituale in his tribus consistit. His enim tribus positis, eosdem effectus præstat in genere moris, acsi actu physicè perseueraret. Nam recta ratio dictat peccatorem, dum non est condonatum peccatum, adhuc esse dignum odio, & obligatum ad pœnam sustinendam, perinde ac fuit dignus & obligatus, dum physicè existeret peccatum. Vniuersaliter enim iniuriæ illatæ tamdiu perseuerant moraliter, quamdiu non condonantur nec satisfactione expiantur*

Punct. 2dum. Obiectum condonationis diuinæ, per quam Deus donat culpam est carentia odij diuini, quod merebatur peccator. Hanc enim Deus condonans vult, siquidem vult efficaciter imposterum non odisse, ergo vult carentiam odij. Similiter obiectum condonationis diuinæ, per quam Deus condonat pœnam, est carentia pœnæ.

12ma. An Deus sit causa efficiens peccati.

Punct. 1mum. Impia hæresis est Deum esse authorem peccati. Quare impiè docuit Lutherus art. 36 *Deum operari in impiis mala opera* Impiè docuit Caluinus l. 1. instit c. 18 sect. 1. de peccatis, *nihil efficere homines, nisi arcano Dei nutu, nec quidquam in deliberando agitare, nisi quod ipse iam apud se decreuit, ut arcana directione constituat.* Et ibid. *Tergiuersatione effugiunt Dei tantùm permissu, non*

ſu, non etiam voluntate hoc fieri, blaſphemè docuit Philippus Melanchton in c. 8. ad Rom. *Non minùs fuiſſe opus Dei proditionem Iudæ, quàm conuerſionem Pauli.*

Punct. 2dum. Certiſſimæ fidei diuinæ aſſertio eſt, Deum nullo prorsùs modo eſſe auctorem vel cauſam peccati. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & ad iniquitatem reſpicere non potes.* Habacuch Item: *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem.* Pſal. 44. *Abominabile Domino cor paruum* Prou. 11. *Suſtinuit in multa patientia* (ergò contra voluntatem) *vaſa iræ parata in interitum &c. Non eſt in Deo malum, & malum diuinum non eſt, ſed neq; eſt ex Deo malum, aut enim bonus non eſt, aut bona facit, & bona producit. Neque aliquando quidem, atq; aliqua aliquando verò non, & non omnia.* Id ipſum docet D. Baſilius in homilia, quod Deus non eſt author malorum. *Inſipiens*, inquit, *reuera menteq; & prudentia priuatus eſt, qui dicit Deum non eſſe, conſimilis verò huic eſt, & nihilo inferior dementia, qui dicit Deum malorum eſſe authorem.* Item Theodoretus lib. Diuinorum Decretorum cap. de Antichriſto. *Deus non eſt cauſa malorum, vt volunt etiam externi Philoſophi. Nec enim ipſe Cain fecit homicidam quia cum vellet fratrem occidere, non prohibuit. Neq; vt Filij Iacob, fratrem venderunt, perfecit, quia eorum conatum non repreſſit.* Item Auguſt. lib. de ſpiritu & litera c. 31. *Nuſquam legimus in Sanctis Scripturis, non eſt voluntas, niſi à Deo: Et rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: Alioquin etiam peccatorum, quod abſit, author eſt Deus, ſi non ſit voluntas niſi ab illo, quoniam mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus.* Quare aduertant ad definitiones SS. Conciliorum, qui Deo motionis negotium imponunt ad actus liberos malos, *ſuam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet.* Concil. Arauſicanum c. 23. Cui adſtipulatur contra eiuſcemodi authores S. Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari non permiſſiuè ſolùm ſed etiam propriè & per ſe, adeò vt ſit eius proprium opus, non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema ſit.*

Punctum 3tium. Quinq; modis poteſt cogitari, ſeu fingi Deus eſſe cauſa vel author peccati, ſed nullo horum modo eſt cauſa peccati. Primo modo poteſt fingi eſſe author peccati, quod ſcilicet per ſeipſum efficiat peccatum, vt in defectu quodam, illud conſiſtit: quia peccatum ſic ſumptum, nullam poteſt habere ſui cauſam effectiuam ſed deficientem, iuxta principia doctrinæ ſtatuentis peccatum in defectu. Clariſſimè id propugnat S. Auguſtin. lib. 12. de ciuit. DEI cap. 7. *Nemo* inquit, *quærat cauſam malæ voluntatis, non enim eſt efficiens, ſed deficiens. Quia neq; illa eſt effectio, ſed defectio.* Ratio ſubtilis eſt D. Auguſtini, quoniam peccatum in hac ſententia, ſecundùm rationem formalem, nihil eſt. Ergo eâ ratione nequaquam fit. Secundo modo poteſt fingi Deus eſſe Cauſa peccati, quo tamen modo non eſt vera cauſa peccati ſcilicet

ratione actûs, cui peccati ratio sit annexa. Quia Deus non determinat causam liberam, ad actum peccaminosum, sed ab ea potiùs determinatur, & quasi inuitus concurrit, dehortando à peccato, & comminando pœnas æternas: atque è contra offerendo auxilia sua supernaturalia ad superandas tentationes trahentes ad peccatum, & actum bonum ponendum, ei promittendo præmium æternum. Vnde Deus nullo modo est causa peccati. Quia nec directè, nec indirectè illud vult. Non directè quidem, vti constat ex dictis, neq; indirectè, ex eo, quod illud non impediat: quia Deus non tenetur eiusmodi peccata impedire; imò in eo potiùs, quod illa permittit, legem causæ primæ exequitur, quæ est, vt Creaturam liberam permittat agere arbitratu suo. Quare cum causa indirecta alicuius peccati, ea solùm dicatur, quæ potest & debet impedire peccatum, non est peccati causa indirecta Deus. Sicut exemplo submersionis nauis, quæ non adscribitur tan-quam causæ peregrino qui illa vehebatur, quantumuis potuerit eam submersio-nem impedire, sed soli Nauclero, qui etiam debebat, probat Sanctus Thomas qu. 79. a. 1.

Tertio modo potest fingi Deus esse causa peccati, scilicet ad illud aliquo præcepto obligando, vel consilio adhortando; atqui blasphemia execranda est, hunc modum Deo tribuere, vt pote qui grauissimis præceptis peccata prohibet, imò cùm de ratione peccati sit, esse contra præceptum DEI, quomodo peccatum potest esse à Deo præceptum? *Nemini mandauit impiè agere.* Ecclesiast. 15. *Ædificauerunt excelsa Baalim &c. quæ ego non præcepi.* Ierem. 19. *Si reperti fuerint apud te qui transgrediantur pactum Domini; vt seruiant Dijs alienis, & adorent Solem, Lunam, & Stellas, quæ non præcepi.* Deut. 17.

Quarto modo potest DEVS fingi esse causa peccati, scilicet vt ipsemet quia omnipotens est, possit etiam peccare. Verùm hic sensus est impijssimus. *Tum* si ex eo quia Deus omnipotens est, potest peccare, ergo etiam vi omnipotentiæ potest Filium, quem ab æterno generat, destruere, imò Pater & Filius ex vi eiusdem Omnipotentiæ possunt Spiritum Sanctum destruere. *Tum quia* Deus non potest deficere ab aliqua perfectione sibi necessaria, ergo non potest peccare, quia per peccatũ deficeret à sua sanctitate & bonitate, quæ cum sint perfectiones realiter identificatæ Essentiæ Diuinæ & vna indiuisibilis cum illa entitas; sequetur Deum posse physicè deficere à sua essentia deficiendo à sanctitate & Bonitate sua. *Tum quia* Deus nulla lege tenetur, à qua possit descissere: Nam lex eiusmodi vel esset ab ipso Deo lata vel ab alio. Ab alio non potest Deus lege obligari, quoniam superiorem non habet. A legibus autem quas ipse sibi circa mundi gubernationem indixit, non potest descissere, quia immutabilis est, ergo non potest aliquod peccatum committere; peccatum enim est transgressio legis. Hæresis igitur est Marcionistarum, Luciferaniorum, Thalmudistarum,

Deum

Deum arguere peccati. *Deus fidelis & absque vlla iniquitate iustus & rectus* Deuter. 32. *Nunquid iniquus est Deus? absit &c.* Rom. 3. *Quis ex Vobis arguet me de peccato.* Ioan. 8.

Punctum 4tum. Non est imputandum peccatum Deo, vt applicanti omnipotentiam propria voluntate ad concursum actionis peccaminosæ: siquidem voluntas Diuina tantùm habet se permissiuè respectu actionis peccaminosæ, eam non impediendo. *Necessitate non imponit, sed congruis remedijs appositis, totum in ægrotantis sententia situm esse permittit.* Chrys. in c. 4. Gen. homil. 9. *Cùm Deus propter excellentem justitiam, & ob eximiam bonitatem, omnes, & omnia vtilissima esse voluerit, & sua bona omnibus proposuerit, iuxta permissionem verò liberi arbitrij, omnibus propria voluntate vti concedat, vt quisq; quod voluerit faciat, quòd ipse quidem malorum causa non sit.* Epiph. contra Hæresim 66. Manichæi post epistolam Marcelli pag. 3. Igitur ex eo, quòd Deus causa malorum non sit, permittit libero arbitrio, quod voluerit facere, licet Deus omnes, & omnia illorum opera, quatenùs est ex se, voluerit vtilissima & optima. Suffragatur doctrinæ huic Trid. sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam propriè & per se, adeo vt sit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit. &c.* In hoc canone Tridentini patet *primò* quòd *Deus non ita operatur mala opera, sicut bona.* Patet 2*dò*, quòd *Deus mala opera operetur permissiuè solùm.* Patet 3*tiò*, quòd Deus operetur bona opera propriè & per se. Ideò igitur Deus non ita operatur mala opera, sicut bona, quia hæc propriè & per se operatur, illa verò tantùm permissiuè. Rectè S. August. in Enchir. c. 97. & c. 96. in principio ait: *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Neq; dubitandum est, Deum facere benè etiam sinendo fieri, quæcunq; malè fiunt.* Vndè cùm voluntas Dei non intendat peccatum neq; illud velit voluntate prosecutionis sed permissionis, Deus non est author aut causa peccati formalis; licet ratione concursus, sui quem vt causa prima exhibet sit causa materialis actionis peccati, quæ vt pote creatura essentialiter à Creatore dependet. Quod verò Omnipotentia non solùm permittens, sed positiuè influens in actionem materialiter malam, non sit causa peccati ideo est, quia concurrit per modum causæ naturalis, non moralis; seu non per modum principij immediatè liberi ad talem actionem. Quia scilicet Omnipotentia non concurrit ad peccatum, determinata absolutè ad concursum à voluntate Dei, sed applicata à voluntate Dei voluntati creatæ, ad concurrendum vel non concurrendum, & determinata à voluntate creata ad concursum hîc & nunc absolutè exhibitum. Vnde etiam sic determinata non concurrit ad actionem vt liberam respectu voluntatis, sed ad actionem secundùm se, quæ præcisè sumpta, non est formaliter libera, sed respectu voluntatis creatæ.

Punctum 5tum. Deus non determinat existentiam absolutam alicuius indiuidui peccati, sed negat principia indifferentia ad omnia alia, & ea ad hoc concedit, illudq; permittit. Vnde Voluntas non potest aliud ponere, & potest liberè hoc ponere vel omittere. Manet igitur sub conditione determinata ad hoc, vt si aliquod peccatum sit elicitura, hoc & non aliud eliciat, ipsa verò absolutè se determinat ad elicientiam huius indiuidui, quam posset liberè omittere. Non igitur Deus determinat ad indiuiduum positiuè absolutè, aut ad exercitium & in actu 2dò, sed negatiuè & conditionatè atque in actu 1mò; sic dicendo v. g. Permitto tibi vt possis. pro libitu elicere actum A & non permitto vt possis elicere actum B. C. D. &c.

13tia. An & quomodo Diabolus sit causa peccati?

Punctum 1mum. Error fuit Valentini veteris hæretici, quòd peccata hominum non sint à libero arbitrio, sed à solo Dæmone. Eundem errorem tribuit Armenis Guido Carmelit. in catal. hæret. sed hæresis admodùm absurda est. *Tum quia homini tanquam causæ, peccata sæpè attribuuntur. Nonne si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim præ foribus peccatum tuum aderit.* Gen. 4. Et Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Tum quia non potest committi peccatum, nisi consensu libero voluntatis. *Inuitus nemo peccat.* Cypr. serm. de Baptis: Christi.

Punctum 2dum. Dæmon sæpè est causa peccati vnà cum ipso homine. *Aduersarius vester Diabolus circum-it, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* 1. Petri 5. *Diabolus est perfector mali, sicut Deus boni* Hier. l. 2. contra Iouin. *Diabolus suæ societati malignos affectus inspirat* Aug. lib. 4. de Trin. c. 12.

Punctum 3tium. Dæmon non adigit necessariò hominem ad peccatum. Tum quia cum gratia Dei possumus illum vincere. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere* Ephes. 6. *Resistite Diabolo & fugiet à vobis.* Iacobi 4. *Cui resistite fortes in fide.* 1. Petri 5. Præclarè D. Gregorius lib. 13. moral. c. 9 in illud Iobi 16. *Conuulnerauit lumbos meos. Antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare sed conuulnerare dicitur.*

Punctum 4tum. Diabolus solet esse causa peccati per suggestionem vel externam, proponendo homini peccata, quæ eum ad peccandum illiciant; vel internam, commouendo spiritus & humores, atque adeò concitando imaginationem & appetitum sensitiuum ad motus varios. D. Th. hic a. 2.

THEO-

THEOLOGICÆ SS. PATRVM
E T
DOCTORVM ECCLESIÆ,
ASSERTIONES;

De Gratia, Ivstificatione, & Merito.

Propugnatæ ab eodem qui ſupra. In Collegio Varſauienſi Societatis Jesv.

Præſide R. P. Martino Kretzmer Societatis Jesv, SS. Theologiæ Doctore, eiuſdemq; & SS. Canonum Profeſſore Ordinario ac Superiorum Scholarum Præfecto.

1ma De Gratiæ quidditate & exiſtentia.

Punctum 1mum. *Gratia vniuerſaliter dicitur id, quod gratis datur.* Aug: epiſt. 106 & 107. *Vnde ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Rom: 4. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſſet gratia* c. 11. Punct. 2dum. Certum eſt ex fide dari gratiam ſupernaturalem. *Si enim vnius delicto, mortui multi ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis* Iesu *Chriſti in plures abundauit.* Rom: 5. *Gratiâ eſtis ſaluati per fidem & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Ephes: 2. *Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* 2. Petri. 1. Punctum 3tium. Non igitur naturalis duntaxat gratia creationis datur, ſed & ſupernaturalis, ſaluationis, & redemptionis. *Nam etſi quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei quâ creati ſumus, vt non nihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid vt cadauer, quod non viuit; & arbor, quæ non ſentit, aut pecus quod non intelligit, ſed homines, qui & eſſemus, & viueremus, & ſentiremus, & intelligeremus, &c. alia tamen eſt, quâ prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, glorificamur.* Aug: Epiſt: 95. contra Pelag. Et Epiſt: 106. *Non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, quâ creati ſumus, vt homines eſſemus, ſed quâ iuſtificati ſumus, vt homines iuſti eſſemus.*

2da. De Gratia gratis data, & gratia gratum faciente.

Punctum 1mum. Illa datur principaliter ad aliorum salutem, & vtilitatem, Hæc ad sanctificandum subiectum, cui inest. Illam nouemduplicem recenset Apostolus. *Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum in vno Spiritu, Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* 1. Corint: 11. Punctum 2dum. Huc spectat Character ordinis, potestas iurisdictionis, & gratia quæ Pontifici, & Concilio generali approbato datur ad definiendas res fidei, vocaturque *clauis scientiæ.* Porrò gratia gratis data, nec solis, nec omnibus iustis datur.

3tia. De Gratia Habituali, & actuali.

Pun: 1mum, Illa est Qualitas supernaturalis naturâ permanens. Complectitur sub se gratiam habitualem sanctificantem, & omnes habitus supernaturales infusos. Hæc est Qualitas supernaturalis, naturâ suâ transiens. De fide est dari gratiam habitualem, & habitus infusos. *Si quis dixerit homines iustificari, vel solâ imputatione iustitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, seclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritũ sanctum diffundatur, atque illis adhæreat, aut etiam gratiam, quâ iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, anathema sit.* Trid: Sess: 6. can: 11. Et de habitibus infusis cap: 7. definit. *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorũ, hæc omnia infusa simul accipere hominem per* IESUM *Christum, cui inseritur per fidem, spem, charitatem.* Punctum 2dum. Porrò vtriusque gratiæ quadruplex discrimen est. Habitualis non confertur adultis sine aliquo merito, aut dispositione supernaturali. Constat ex Trid: Sess: 6. cap: 5. & sess: 14 cap: 14. Actualis autem prima, omne meritum & dispositionem antecedit. Quia iuxta axioma Theologicum: *Principium meriti non cadit sub meritum.* Illa semel comparata nunquam sine culpa amittitur, hæc etiam sine culpa. Illa confertur etiam infantibus, & dormientibus. Hæc tantùm adultis & vigilantibus. Illa nunquam exhibet influxum sine libera voluntatis cooperatione, hæc operationem liberam antecedit.

4ta. De Gratiæ actualis multiplicitate.

Punctum 1mum. Datur gratia excitans, quæ illustrando intellectum, aut mouendo voluntatem inuitat ad bonum prosequendũ, & malum fugiendum. *Ecce*

sto

sto ad ostium & pulso. Apocal: 3. & 2. ad Tim: cap. 1. *Qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam.* Punctum 2dum. Hæc eadem gratia est præueniens *Declarat præterea sancta Synodus, ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum* IESUM *præueniente gratia sumendum esse.* Dicitur verò Præueniens dùm excitando, antecedit operationem. *Nolentem* DEUS *præuenit, vt velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* August. in Enchir. cap. 32. *Qui & præueniendo dedit eis bonum velle, quod noluerant, & subsequendo dedit bonum posse, quod volunt* Gregor. lib. 2. Moral. c. 5. Punctum 3tium. Hæc eadem gratia excitans, & præueniens, est etiam adiuuans & cooperans. Dùm enim voluntas operatur ph sicè, gratia in suo genere influit in operationem, ac proinde cooperatur, & adiuuat. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Rom. 8. *Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Ad Philipp.. 2. *Virtus Dei studijs cooperatur humanis.* Ambr. lib. 2. in Lucam cap. 12. Punctum 4tum. Eadem gratia est etiam concomitans. *Quæ virtus, eorum bona opera semper antecedit, & comitatur.* Trid. Seß: 16. c. 16. *Suprema pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoq; libero nostro arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiscum.* Greg. lib. 16. Moral. cap. 10. Punctum 5tum. Eadem gratia est etiam subsequens. *DEus præuenit, vt sanemur, subsequitur, vt sanati vegetemur, præuenit vt vocemur, subsequitur vt glorificemur. Præuenit, vt piè viuamus, subsequitur, vt cum illo semper viuamus. Quia sine illo nihil possumus facere.* August. lib. de natura & gratia, cap. 32.

5ta De Essentia gratiæ actualis.

Punctum 1mum. Consistit inadæquatè in actibus intellectûs, apprehensione, iudicio, & Conclusione. Est verò donum supernaturale ad operationes supernaturales requisitum, & ex se transiens, intellectum illustrans, aut mouens voluntatem. Vnde Concilium Arausicanum cap. 7. ait. *Opus meritorium fieri non potest sine Dei illuminatione & inspiratione.* Et Mileuitanum c. 4. *Per gratiam reuelatur nobis intelligentia mandatorum, daturque simul scire quid agere debeamus.* Et Trid. Seß: 6. cap. 9. definiens requisita ad iustificationem ait. *Tangi à Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem. Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filios Dei fieri, ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano pias cogitationes.* Aug. lib 2. de bono perseuerantiæ. Punctum 2dum. Gratia actualis consistit partialiter etiam in actibus voluntatis. *Præparatur voluntas à Domino, & vt aliquid agant, paternis inspirationibus suorum tangit corda fidelium.* Cælest. Papa in epist. ad Episc. Galliæ. *Vnde nullus est bonæ voluntatis*

luntatis motus, nisi quem creauerit diffusæ per Spiritum charitatis affectus Prosperi lib. 9 coll. c. 22. Omnem igitur motum bonæ voluntatis, nimirum deliberatum creat, antecedit, & causat affectus diffusæ per spiritum charitatis, consequenter actus voluntatis in se supernaturalis mouet voluntatem ad alium, estq; gratia actualis. Punctum 3tium. Actus indeliberati voluntatis, sunt gratia actualis. Vnde si gratia actualis esset deliberatus actus voluntatis esset quoque meritorius, cùm omnis actus voluntatis liber & supernaturalis sit meritorius: si verò esset meritorius, requireretur ad illum gratia actualis, & ad hanc, quia esset pariter actus meritorius rursum requireretur alia gratia actualis non sine processu in infinitum: quare oportet gratiam actualem ex parte voluntatis esse actus indeliberatos. Punctum 4tum. Sine affectu præuio, positâ solâ illustratione, probabiliter non potest moueri voluntas ad actum deliberatum & meritorium: *Cùm nullus sit bonæ voluntatis motus, nisi præcedat affectus diffusæ charitatis per Spiritum Sanctum.* Prosper cit. *Et ab ipso accipiant potestatem filios Dei fieri, qui dat cordi humano pias cogitationes.* Aug. cit.

6ta De Pelagianorum errore circa Gratiam.

Cùm Manichæi assererent liberum arbitrium esse malum, quia peccat, refutârunt illos Pelagiani opponentes, arbitrium liberum esse bonum, quia si velit, potest non peccare. Pressi verò pluribus S. Scripturæ locis requirentibus præter vires liberi arbitrij, gratiam ad operandum meritoriè: responderunt gratiam creationis & prædicationis externæ duntaxit requiri. Tùm Pelagianis restitit D. August. asserens esse necessariam gratiam supernaturalem interiorem. *Illam confiteantur apertissimè gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat, & prædicat propriam esse Christianorum, quæ non est natura, sed quâ saluatur natura.* Epist. 95. Et lib. de gratia Christi c. 13. *Si gratia doctrinæ dicenda est, certè illa intelligatur, vt altius, & interius credatur Spiritum Sanctum, illam infundere, non solùm per eos, qui rigant, & plantant extrinsecùs, sed etiam per seipsum, qui incrementum dat Deus.* Recessit ab errore Pelagius, sed euitando Scyllam, incidit in Charybdim, requirens pro libero arbitrio gratiam non quidem *ad simpliciter posse*, sed *ad facilius posse*. Refutauit & hunc errorem D. August. lib. de gratia Christi cap. 4. *Tolle facilius; & non solùm planus, sed & sanus est sensus, si ita dicatur, vt quod per liberum homines iubentur facere arbitrium, possint implere per gratiam, cùm autem facilius additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tacita significatione supponitur.*

7ma.

7ma De Gratia efficaci.

Punctum 1mum. Non datur gratia intrinsecè efficax ad actus meritorios vtilis aut requisita. *Inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest eâ non vti & peccare.* D. Tho. 1. p. quæst. 62. art. 3. ad 2dum. Item 3. p. Quæst. 69 art. 8. ad 2dum. Præterea stante Dei gratiâ efficaci, homo potest porrigere manum suam ad quod voluerit; vitam vel mortem, bonum vel malum. *Quod placuerit ei, dabitur illi*: iuxta illud Eccl: 15. *Apposui tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam; Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* At verò habens gratiam intrinsecè efficacem *non ad quod voluerit, aut quod ei placuerit,* eligit, sed ad quod prædeterminatus fuerit. Siquidem gratia intrinsecè efficax & electionem antecedit, & necessariò cum illa connectitur. Cùm tamen Concil: Trid. Sess: 6. c. 5. definiat, quòd habens *gratiam possit illam abijcere*, loquitur autem Concilium de gratia efficaci, quia loquitur de gratia, *cui liberè assentimur, & cooperamur. Eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponimur, ita, vt tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neq; ipse homo nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens: quippè, qui illam & abijcere potest: neq; tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam liberè sua voluntate possit.* Trid. cit. Quare præclarè ait D. August. lib. 2. de peccat. remiss: c. 17. *Cum voluntate humana, gratia adiuuante diuina sine peccato in hac vita homines possint esse, cur non sint? possem facillimè & veracissimè respondere, quia homines nolunt.* Item lib. 2. de actis cum Felice Manichæo. *Nemo nisi Deus arborem facere potest, sed habet vnusquisq; in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala, & esse arbor mala.* Punctum 2dum. Cum gratia intrinsecè efficaci, & prædeterminationibus physicis non potest componi creatæ libertatis indifferentia. Quilibet quidem operaturus, misericordiâ Dei præuenitur (*ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audiuerit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum.* Apoc. 3.) Consentire autem vocationi Dei vel dissentire, humanæ est voluntatis. *Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, &c.* Prouerb. 1. *Vnde Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam. Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & perijt. Quantum ad naturam, ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo reges, quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti: Quid ergò fines eorum fecit esse diuersos nisi quòd vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio?* lib. de prædest. & grat. c. 15. Punctum 3tium. Repugnat, vt per conditionatam scientiam omniscius, & omnipotens Deus videat contra omnes vo-

cationis modos obstinatam quampiam voluntatem obdurescere. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* 3 Cor. 9. *In ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Esther. 13. *Quis dicat Deo defuisse modum vocandi, quo etiam Esau mentem ad eam fidem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis aptum est, vt sequantur.* Aug. lib. 1. ad Simpl. qu. 2. Quæ igitur scit congruere homini, vt vocantem non respuat, siue, quæ omniscius, & omnipotens cum acceptatione vocati spontanea hîc & nunc coniungenda videt, Miserator, & Misericors Pater largitur. Vnde & indemnis prædestinatorum saluatur libertas, & prædestinantis Dei infallibilitas. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare, manus eius extenta, & quis auertet?* Isaiæ 14. *Cui volenti saluum facere, nullum rationis resistit arbitrium: sine dubio habens humanorum cordium, quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* August. lib. de corrept. & gratia c. 14.

8ua Punctum 1mum. Auxilium gratiæ ex se efficax in actu primo, potest homo reddere inefficax; seu habendo auxilium quantum ex se efficax potest adhuc in actu secundo non cõsentire. *Væ tibi Corosaim, væ tibi Betsaida quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Matt. 11. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Cor. 6. Potest igitur gratia ex se efficax, suo effectu frustrari. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti: quò ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque possit dissentiri si velit, anathema sit.* Trid. sess. 6. can: 4. Punctum 2dum. Neque dici potest scripturam & Concilium loqui in sensu diuiso, non in sensu composito: quod scilicet liberum arbitrium in sensu diuiso à gratia efficaci possit dissentiri, non autem in sensu composito: non secùs, ac quis sedens, potest in sensu diuiso sessionis stare. Tum quia Caluinus, contra quem Concilium Trid. definiebat, *hominem posse dissentiri si velit*, non negabat hominem à Deo motum posse in sensu diuiso dissentire, vt ipse fatetur in suis institut. c. 2. & 3. §. 10. Tùm quia ipsius Concilij verba clare significant sensum compositum. Quis quoq; dicat posse aliquem resistere tentationi, eò quia si non tentaretur, staret? Quis dicat Paulum posse abijcere preces Petri, eò quòd possit Paulus Petro non postulanti denegare id, quod non petit. *Si duo æqualiter affecti animo & corpore videant vnius corporis pulchritudinem, & si eadem tentatione tententur, & vnus ei cedat atque consentiat, alter idem, qui fuerat*

perseue-

perseueret, quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Aug. lib. 12. de ciuit. 6. sicut ergò in sensu composito tentationis æqualis, vnus consentit, alter dissentit, ita in sensu composito gratiæ æqualis vnus consentit, alter dissentit. Punctum 3tium. Neq; dici potest, posse quidem liberum arbitriũ dissentire in sensu composito auxilij, defacto tamen nunquam dissensurum. Quia scilicet gratia efficax, licet relinquat potentiam ad oppositum, infallibiliter tamen illam prædeterminat. quia aliud est, quòd quis habendo auxilium efficax retineat potentiam ad negationem consensûs, remoto auxilio efficaci: aliud verò quòd quis habendo auxilium, habeat simul potentiam ad dissentiendum stante eodem auxilio efficaci, seu negationem consensûs coniungendam cum auxilio efficaci. Si primum asseritur, non satisfit definitioni Concilij & doctrinæ S. Aug. qui volunt non tantùm posse conjungi auxilium efficax, & potentiam ad dissensum, sed etiam posse conjungi cum auxilio dissensum. Si verò secundum asseritur, jam illud auxilium ex se, & secundùm suam entitatem non erit absolutè efficax; auxilio enim absolutè efficaci, repugnat carere operatione. Punctum 4tum. Neque dici potest, stante gratiâ intrinsecè efficaci adhuc voluntati obiectum repræsentari sub indifferenti ratione, & quantum est ex parte iudicij voluntatem esse indifferentem, consequenter posse dissentire in sensu composito auxilij. Tum quia ad hoc, vt quis absolutè dicatur habere potentiam non consentiendi, seu resistendi, sicuti definit Concilium, non sufficit, quod sit iudicium indifferens, quis enim absolutè dicat posse aliquem in biuio positum ire hac vel illâ viâ, eò quòd benè videat illam vtramque viam, sed simul est ligatus vinculis, quæ ipse sibi non injecit, neque injecta deponere potest, vt ergò quis absolutè possit consentire, vel dissentire, præter iudicium rationis indifferens, requiritur insuper concursus Dei in actu primo indifferens ad vtrumque, qualem concursum Deus non offert, cùm prædeterminat physicè ad vnum. Neque sufficit, quòd Deus habeat paratum concursum in actu primo ad dissensum, casu quo non esset gratia prædeterminans ad assensum, quia ille concursus ad dissensum, non debetur homini hic & nunc, quàm diu non tollitur gratia prædeterminans, & consequenter non magis poterit dissentire, quàm ligatus ambulare. Punctum 5tum. Neque dici potest, necessitatem in sensu composito, seu ex suppositione non tollere libertatem, ex suppositione enim quòd quis sedeat, non potest non sedere, & tamen sessio est illi simpliciter libera. Nam sensus compositus, suppositio, necessitas, (quæ hic idem significant) potest esse duplex. Primò sensus compositus potest aliquid esse, quod supponat vsum libertatis, secundò sensus compositus potest esse, qui antecedat vsum libertatis, & pertineat ad actum primum proximum. Similiter suppositio & necessitas, alia potest esse antecedens vsum libertatis, alia consequens, quæ fiat ex ipso vsu libertatis, illa solet dici necessitas consequentis, hæc

conse-

consequentiæ. Porrò necessitas in sensu composito, & suppositione consequenti, non tollit libertatem, sed potiùs supponit. Quia vsus libertatis non destruit libertatem respectu eiusdem, nihil enim destruit seipsum. Si verò sit necessitas in sensu composito, & ex suppositione antecedente vsum libertatis, ita vt sit impossibile componi simul talem suppositionem, seu illud compositum antecedens, cum carentia actûs, talis compositio & necessitas inducta ex illa, est contraria libertati. Talis autem suppositio, & sensus compositus reperitur in gratia efficaci, igitur tollit libertatem.

9na

Punctum 1mum. Gratia intrinsecè efficax, quâ positâ impossibile est non sequi consensum, non modò pugnat cum indifferentia arbitrij, sed etiam cum gratia sufficienti. Quia quæcunque alia auxilia offerantur, si non ponatur gratia prædeterminans, impossibile est sequi consensum. Ergò sine gratia prædeterminante non habetur auxilium sufficiens, vtpotè cum quo homo non potest operari. Punctum 2dum. Neque dici potest Deum auxilium sufficiens non dare, quatenùs sufficit & requiritur, vt homo actu conuertatur: sed dare quod est sufficiens, & requiritur, vt possit conuerti. Nam auxilium sufficiens præstat posse operari, efficax autem præstat actu operari; Tùm quia gratia prædeterminans non dat actu operari, tanquam ipsa actualis operatio, aut concursus diuinus identificatus actioni, sed dat actu operari, tanquam aliquid præuium ad ipsam operationem, & consequenter tanquam aliquid pertinens ad actum primum, quocunque nomine seu complementi, seu conditionis, seu præmotionis appelletur: ergò qui non habet gratiam prædeterminantem, non habet simpliciter posse, atque ideò neque auxilium sufficiens. Tùm quia auxilium sufficiens, ad hoc nobis datur, quod nobis Deus præcipit, & ad quod nos hortatur: hoc verò non est tàm posse, quàm actu operari. Tum quia implicat, quod aliquod auxilium sit sufficiens ad posse completum, & non sit sufficiens ad actu operari. Aliàs hæc vtraq; propositio: Petrum cum hoc auxilio cōuerti est possibile, & Petrum cum hoc auxilio conuerti non est possibile erit simul vera, cùm tamen sint contradictoriæ.

10ma De constitutiuis Gratiæ efficacis.

Punctum 1mum. Efficacia gratiæ in actu primo constituitur per futuritionem operationis conditionatam. Tum quia futuritio conditionata præstat gratiæ infallibilem connexionem cum operatione absoluta, nam supposita futuritione conditionata operationis dependente ab hac gratia, est iam infallibile operationem liberam, posito tali auxilio gratiæ omninò secuturam. Tùm quia futuritio cōditionata relinquit libertatē in ordine ad absolutam operationem. Quia

impossi-

impossibile est tollere libertatem in ordine ad absolutam operationem, supposita futuritione conditionata liberæ operationis, impossibile enim est immutare, & tollere factam suppositionem.

Punctum 2dum. Gratia efficax in actu 2do constituitur per existentiam absolutæ operationis. *Abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. *Nec tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noster dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura, rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Aug. lib. 2. de pec. c. 5. *Ad illam cœnam, nec omnes, qui vocati fuerunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocati. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alij tribuere, sed tantùm sibi: quoniam, vt venirent vocati, erat in illorum potestate.* S. Aug. lib. 83. qu. 68. igitur efficax gratia ex vtraque constituitur, & ex entitete auxilij, & consensu nostro.

IIma. De necessitate gratiæ

Punctum 1mum. In statu naturæ lapsæ potest intellectus independenter ab auxilio gratiæ aliquas veritates cognoscere tàm practicas, quàm speculatiuas. *Si tantùm potuerunt scire vt possent æstimare seculum, quomodò non huius Dominum faciliùs inuenerunt.* Sap. 13. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Rom. 1. Punctum 2dum. Potest bonum aliquod morale adamare ac perficere voluntas. *Cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Rom. 2. *Rempub. Romani constituerunt, fouerunt q; virtutibus, etsi non habentibus veram pietatem erga Deum, quæ illos in æternam ciuitatem possent salubri religione perducere.* Aug. epist. 5. ad Marcellum. Vnde à Pio V. & Greg. XIII. Summis Pontificibus damnata est propositio Baij: *Omnia infidelium opera sunt peccatum, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Punctum 3tium. Necessaria est gratia ad superandas grauiores & longiores tentationes. *Vt sciui, quoniam non aliter possem esse continens, nisi Deus det & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum; Adij Dominum & deprecatus sum illum* Sap. 8. *Propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius. Cùm tam stultus essem, vt nescierim, sicut scriptum est: Neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam* Aug. lib. 6. Confess. cap. 11. Quare Veritas diuina conscia humanæ infirmitatis, nos ad petendam gratiam diuinam hortatur. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Matth. 26. Punctum 4tum. Nemo iustus potest

cum communibus auxilijs gratiæ vitare defactò omnia peccata venialia. Trid. sess: 6. can. 23. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse omnia peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. Iustus in die septies cadit.* Eccl. 7. *Qui dicit se peccatum non habere, mendax est, & veritas in eo non est.* Ioan.

12ma De Iustificatione.

Punctum 1mum. Habitualis gratiæ primarius effectus est iustificatio impij: *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Ephes: 2. *Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum est, quod diuidit inter filios regni æterni, & perditionis æternæ.* August. lib. 15. de Trinit. c. 18. *Tunc efficimur verè liberi cùm Deus nos fingit, id est, format & creat; non vt homines quod iam fecit, sed vt boni homines simus quod nunc gratiâ suâ fecit, vt simus in* CHRISTO JESV *noua creatura, secundùm quod dictum est, cor mundum crea in me Deus.* Aug. in Enchir. c. 31. *Gratiâ Dei, in interiore homine renouato, iustitia scribitur, quam culpa deleuerat.* Idem de Spiritu & Lit. c. 24.

Punctum 2dum. Fit per susceptionem gratiæ & donorum. Porrò gratia iustificans inhæret intrinsecè iustificato, quem reddit filium adoptiuum Dei, hæredem &c. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* 2. Petri. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus* 1. Ioan. 3. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater:* & post: *si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8. *Nobile genus iustorum est, quod solo fauore pertingit ad dignitatem Dei.* August. lib 2. de Ciuitate Dei c. 3. *Alij quidem gratiâ sunt filij, alij naturâ, solus homo Deus, domesticus Dei est, nos de foris assumpti.* S. Ambrosius in Lucæ c. 2. *Pater noster esse incipit, cùm per gratiam regeneramur, quoniam dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Substantia itaq; nostra mutatur in meliùs, cùm filij eius efficimur, simul & ille Pater noster esse incipit.* S. Aug. lib. 5. de Trinit. c. vltimo.

Punctum 3tium. Probabiliùs gratia habitualis non est distincta à charitate realiter: vtpotè quæ ijsdem effectibus, & prædicatis gaudet. *Per gratiam consortes efficimur naturæ diuinæ, per charitatem filij Dei nominamur & sumus. Videte qualem charitatem de-*

dit

dit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. 1. Ioan. 3. *Per gratiam iustificamur, vt iustificati gratiâ, ipsius hæredes simus.* Ad Tim. 3. *Per charitatem similiter iustificamur. Inchoata charitas, inchoata iustitia est, charitas prouecta, prouecta iustitia est, charitas magna, magna iustitia est, charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Aug. de nat. & grat. c. 70. Per gratiam peccata expelluntur. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* 1. Ioan. c. 3. Per charitatem quoq; remittuntur & expelluntur peccata. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Item *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Punctum 4tum. Gratia Habitualis ex natura sua pellit peccatum mortale: non tamen essentialiter.

13tia De merito.

Punctum 1mum. Præter acceptationem Dei, & statum viatoris requiritur ad meritum libertas. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Eccl. 31. Requiritur honestas operis. *Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis.* 1. Cor. 15. Requiritur quoq; gratia habitualis. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Ioan. 15. *CHRISTVS IESVS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in iustificatos virtutem influit, sine qua nullo pacto DEO grata & meritoria eorum opera, esse possunt.* Trid. sess. 6. c. 16. Punctum 2dum. Deus reddit præmium pro meritis ex iustitia. *Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem.* 1. Cor. 3. *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matt. 5. *Reddet Dominus mihi coronam, iustus Iudex. Debet ergò, qui reddit. Reddet ergo Iustus Iudex, non enim opere inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. Bonum certamen certaui, opus est; cursum consumaui, opus est; fidem seruaui, opus est; superest mihi corona iustitiæ, merces est, sed in mercede tu nihil agis, in opere non solus agis.* Aug. homil. 14. de Martyr. & gratia Dei. Punctum 3tium. Non intercedit tamen inter merita, & præmium rigorosa iustitia, sed potiùs fidelitas. *Dona sua coronat Deus, non merita tua; si bona sunt, Dei dona sunt, quia sicut dicit Apostolus Iacobus. Omne*

datum optimum, desursum est. lib. de gratia & libero arbitrio c. 5. *Ipsa vita æterna, quæ meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur.* Epist. 105. ad Sixtum. Punctum 4tum. Ad meritum bonorum operum, quæ à charitate non eliciuntur, requiritur saltem virtualis relatio ad Deum per charitatem. *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur.* D. Tho: qu: 114. art. 4. *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur*: vti dicitur ad Galat. 5. Ibidem resp. ad 3. *Qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet.* Matt. 10. *Qui reliquerit domum, vel fratres &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. *Omne, quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesv Christi facite.* Col. 3. *Non virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet.* August. serm. 50. de temp. *Dantur & alia per Spiritum Sanctum munera, sed sine charitate nil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuiq; Spiritus Sanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistra non transfertur ad dexteram.* S. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 18. Punctum 5tum. Actus ex charitatis affectu vel imperio procedentes, non solùm quoad relationem charitatis, sed etiam secundùm suam specificam rationem meritorij sunt præmij essentialis. *Venite benedicti Patris mei &c. esurivi enim & dedistis mihi manducare.* &c. Matthæi 25. Similiter Apostolus 2. Cor. 9. Operibus ex charitate factis, etiam secundum specificam rationem operum, vti eleemosynæ, meritum æternæ beatitudinis tribuit. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de Benedictionibus metet.*

THEO-

THEOLOGICÆ SS. PATRVM ET DOCTORVM ECCLESIÆ, ASSERTIONES.

De Fide, Spe, & Charitate.

Propugnatæ ab eodem qui supra. In Collegio Varsauiensi Societatis Iesv.

Præside R. P. Martino Kretzmer Societatis Iesv, SS. Theologiæ Doctore, eiusdemq; & SS. Canonum Professore Ordinario ac Superiorum Scholarum Præfecto.

De Fide Theologica

I. De Obiecto Materiali Fidei Theologicæ.

Punctum 1mum. Obiectum Materiale primarium & Attributionis est Deus *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hebr. 11. Vbi proponitur Deus tanquam primarius finis, in quem tendit fides. Et Ephes. 4. *Vnus Deus vna fides*: Vnde S. Aug. 4. de Ciuit. c. 20 *Fidei vnum ac præcipuum & maximum officium est, vt in vnum credamus Deum* Tum quia præcipui fidei articuli, qui nobis primò, & per se proponuntur credendi, sunt de Deo. Tum quia omnia alia, quæ sub fidem cadunt, ad Deum referuntur, vt melius cognoscatur & colatur. Tum quia visionis beatæ primarium Obiectum est Deus, ergo & fidei. Visioni enim succedit fides.

Punct. 2dum. Obiectum materiale fidei adæquatum est quid aggregatum ex omnibus veritatibus, quas Deus nobis reuelauit, per se vel per alios

Punct. 3tium. Obiectum Materiale fidei non potest esse falsum. seu Deus non potest reuelare falsum aut mentiri. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.* Num. 23. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Rom. 3. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* Matth. 24. In quo *abundantius volens Deus ostendere pollicitationibus hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum; Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*

Hebr. 6. Vbi docet primò Apostolus, *Deum abundantius, id est præter omnem necessitatem suæ promissioni addidisse iuramentum*, quia *promissio Dei tam erat certa per se, ac iuncta iuramento. Cùm enim Deus non habeat maiorem se, per quem iuret, tantùm per seipsum iurat, & ideo iuramentum eius non addit maiorem certitudinem dicto illius, quia semper eadem authoritate loquitur. Vtitur ergo iuramento tantum propter nos, quia nos hoc modo solemus concipere maiorem asseuerationem.* Docet secundò tam promissionem Diuinam quàm iuramentum esse duas res immobiles, quibus singulis impossibile sit Deum mentiri. Ideo enim vocat illas duas res immobiles, ostendendo singula per se immutabilia esse. Deinde non solùm excludit à Deo mendacium de potentia ordinaria, sed etiam absoluta; nam si posset Deus mentiri de potentia absoluta, non haberemus firmissimam spem. Possemus enim formidare, an Deus vtens suâ potentiâ absolutâ promisisset nobis. Quare rectè S. Aug. tom. 9. l. 1. de symbolo in principio æquiparat impotentiam moriendi, & impotentiam fallendi. *Deus omnipotens est mori non potest, falli non potest, mentiri non potest.* & post. *Nam si mori posset, non esset omnipotens; si mentiri, si fallere, si falli, si iniquè agere, omnipotens non esset.* Et certè si de quacunq; potentia, Deus posset mentiri, tota firmitas Catholicæ fidei euerteretur; dubitare enim possemus, an in hoc vel in illo casu non esset vsus suâ potestate. Accedit quòd mendacium intrinsecè sit malum & dissonum valdè naturæ rationali; euertit enim ordinem illius, & finem ac necessitatem verborum. Nam verbum externum natura instituit, vt per illud, internum significaremus, & hoc pacto inter naturas rationales esset societas ac fidelitas. Quæ omnia euertit mendacium, quomodo ergo tantum malum cadat in Deum, sanctitatē infinitam? Vnde sequitur. Punct. 4tum. Impossibile est patrari à Deo verum miraculum in confirmationem falsæ doctrinæ. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Ioan: 10. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioan: 15. *Rabbi scimus, quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* Ioan: 3.

Punct. 5tum. Potest esse Obiectum Materiale fidei quod clare cognoscitur. Vnde in eodem intellectu de eodē obiecto haberi potest actus fidei Diuinæ cum cognitione euidenti. Tum *quia Beat: Virgo certissimâ experiētiâ sciuit euidēter, se concepisse Christum sine opera Viri, item tam ipsa, quàm Apostoli certò viderunt Christum miracula facientem, patientem, morientem. &c. & tamen hæc omnia fide Diuinâ crediderunt.* Item Philosophus Christianus *euidenter cognoscit Deum esse, & esse vnum, & tamen hæc credit. Nam sine fide impossibile est placere Deo.* Neq; obligatio credendi debet aut potest poni pro diuerso tempore à tempore actûs sciētifici. *Angeli enim primo instanti creationis suæ credebant & simul euidēter Deum cognoscebant*

bant Neq; vnius actûs obscuritas & alterius euidentia ex parte subiecti vel obiecti repugnant. Non inquam ex parte subiecti, *cum claritatis & obscuritatis non sit vnum immediatum subiectum, sed duplex ille actus.* Non etiam ex parte obiecti, quia *obscuritas & claritas esset ex diuersis obiectis formalibus.* Vnde hi actus non subtraherent sibi intentionaliter obiecta, sicut solent subtrahere actus, qui contraria aut contradictoria dicunt, siquidem per assensum fidei idem omnino affirmaretur aut negaretur, quod per cognitionem naturalem euidentem.

Punct. 6tum. Idem assensus fidei potest tendere circa obiectum reuelatum per aliqd medium scientificum, vel probabile. Tum quia *hic assensus non esset clarus & obscurus respectu eiusdem motiui, sed diuersorum motiuorum.* Et quidem quatenùs hic assensus assẽtiretur obiecto materiali ob reuelationem diuinam præcisiuè non esset clarus; similiter ob motiuum probabile, & obscurum præcisiuè non esset certus & euidens. Sic homo quatenùs est animal, non est rationalis præcisiuè non autem negatiuè & absolutè. Actus enim qui procedit tantùm ex motiuo fidei diuinæ, est obscurus absolutè, & dicit negationem euidentiæ & claritatis; sicuti etiam quod est Vegetatiuum tantùm, excludit sensitiuum. Præterea esse obscurum & incertũ sunt prædicata priuatiua seu negatiua, proinde non possunt competere actui absolutè, cui aliunde competunt prædicata contradictoria. Obscurum enim dicit claritatem aliquam cum negatione maioris, euidentia verò dicit lucem summam in suo genere.

2da. De Obiecto Formali, *Seu*, Motiuo Fidei.

Punctum 1mum. Veritas Diuina in cognoscendo & dicendo constituunt in Deo summam authoritatem in testificando, quæ est obiectum formale fidei. Cùm enim ad fidẽ testificantis duo sint necessaria, primùm ne alios voluntariè fallat, secundum, vt ipse falli non possit, patet ad primum requiri veritatem in dicendo, quæ se tenet ex parte voluntatis, ad secundum, veritatem in cognoscendo, quæ est perfectio intellectûs: ex qua vtraque conflatur adæquatum motiuum fidei. Vnde D. Paulus ait Euangelium non esse ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi. *Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem* Iesu *Christi.* Galat. 1. Item 1. Thesal. 2. *Cùm accepissetis à nobis Verbum auditûs Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Item 2. Petri 1. *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu* S. *inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.*

Punctum 2dum. Reuelatio passiua essentialiter requiritur ad assensum fidei Diuinæ per modum conditionis applicantis authoritatem Diuinam ad materia-

le. Porrò *Reuelatio duplex est; vna actiua, altera passiua. Reuelatio actiua quæ etiam dicitur increata, est ipsamet cognitio Diuina, qua Deus cognoscit Veritatem rei nobis proponendæ, & actus voluntatis, quo vult nobis illam proponere. Reuelatio verò passiua est effectus illius voluntatis Diuinæ, signum videlicet aliquod creatum, quo mediante manifestat Deus homini, quod vult ab illo credi, & homo mediante hâc locutione Diuina dicitur accipere veritates credendas: iuxta illud.* Roman. 10. *Quomodo credēt ei quem non audierūt? Rursus hæc reuelatio passiua, alia est interna ipsi homini, vt est illuminatio supernaturalis dictans hoc vel illud à Deo affirmari. Alia externa, qualis fuit illa vox.* Marci 3. *Ecce filius meus. Requiritur ergò reuelatio passiua essentialiter ad assensum fidei; hic enim ob authoritatem Diuinam elici non potest, nisi illa innotescat, innotescere verò non potest, nisi per reuelationem. Tum quia fides Diuina innititur authoritati Diuinæ non præcisè secundum se, sed testanti: nisi enim testaretur Deum esse trinum, quomodo credere possemus? Tum quia vniuersaliter etiam fides humana non respicit præcisè humanam authoritatem alicuius, sed vt testantis. Tum quia reuelatio passiua est nexus & vnio quædam obiecti formalis cum materiali, siquidem veritas reuelata non habet connexionem aliam cum authoritate Diuina, nisi per reuelationem. Cæterùm reuelatio passiua non est partiale commotiuum authoritatis Diuinæ, sed tantùm conditio applicans. Tum quia in sola authoritate Diuina intelligitur esse adæquata & completa ratio formalis motiui ad assensum fidei, ergo reuelatio creata non est partiale motiuum. Ideò enim approximatio ignis v. g. ad lignum est necessaria ad igniendum tanquam mera conditio, & non tanquam virtus ignitiua, etiam inadæquata, quia in ipso igne intelligitur totalis & completa virtus productiua ignis, ergo cùm in diuina authoritate sit adæquata vis mouendi ad assensum fidei, vt pote quæ ratione sui habet sufficientem vim reddendi dictum Dei indefectibile à vero, illa quoq; sola est adæquatum motiuum assensus fidei. Tum quia non solùm obiectum materiale, quod reuelatur, creditur, sed etiam ipsa reuelatio, propter infallibilem authoritatem Diuinam: dum enim credo aliquid à Deo reuelatum, eodem assensu fidei credo reuelationem esse Diuinam, & infallibilem, & quia ipsa reuelatio non habet hoc ex se, quod sit infallibilis, sed ex authoritate Diuina, ideo credo etiam illam esse infallibilē, propter authoritatem Diuinam, tanquam propter rationem formalem motiuam, propter seipsam verò solùm tanquam propter conditionē, quæ applicat formale motiuum non solùm ad materiale, quod reuelatur vt quod; sed etiam ad seipsam, quæ reuelatur vt Quo.*

3tia. De Obscuritate Fidei.

Punctum 1mum. Non potest fides Diuina exerceri propter reuelationem euidentem ex parte rei reuelatæ: *Nam fides est argumentum non apparentium.* Hebr. 11. Est visio ænigmatica: *Videmus nunc in ænigmate.* 1. Cor. 13. *Est lucerna lucens in caliginoso loco.* 2. Petri 1. Est quædam ignorantia. *Non habet veniam, sed præmium, ignorare quod credas.* Hilarius lib. 3 de Trinit.

Pun.

Punctum 2dum. Non potest assensus fidei per se ac formaliter fundari in euidentia authoritatis & reuelationis Diuinæ, simul sumptæ. *Dum enim illa duo principia, Deus hoc dicit, & Deus non potest fallere, sunt simul euidentia actualiter assensus ex vi illorum elicitius, est necessariò euidens, quare non est assensus fidei Diuinæ, qui est essentialiter obscurus. Præterea vel illa duo principia sunt euidentia naturali lumine, seu discursu vel lumine supernaturali, seu infuso: si primum dicatur, tunc assensus rei reuelatæ non excedit ordinem & certitudinem principiorum suorum, & consequenter erit assensus naturalis, sicut & principia quibus innititur: quod verum est, etiamsi vnum ex principijs sit euidens lumine supernaturali, quia sicut conclusio, ita etiam assensus ille, sequitur debiliorem partem. Quod si dicatur secundum, tunc assensus erit eliciendus virtute & efficacia eiusdem luminis, & consequenter non erit assensus fidei. Illud enim lumen esset diuersæ speciei à lumine fidei, quia non fundaretur in authoritate dicentis, sed in euidentia experimentali, & quasi intuitiua ipsius rei.*

Punctum 3tium. Licet authoritas Diuina, seu Verbum Dei, sit formale adæquantum motiuum, applicatione tamen, seu apparentia opus est, vt nobis constet, Deum reipsa esse testatum. Nam *qui credit citò, leuis est corde.* Eccl. 19. Porrò hæc applicatio reuelationis fit potissimum per miracula. *Euntes nuntiate Ioanni, quæ audîstis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant &c.* Matth 21. Item. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Ioan. 10. Item. *Dante signa & prodigia fieri per manus eorum.* Actor. 12. Applicatio reuelationis fit etiam per infallibilis Ecclesiæ propositionem. Non mouet illa nos per seipsam ad credendum tanquam fidei nostræ commotiuum, sed verùm fidei motiuum, scilicet verbum Diuinum proponit & applicat nobis. Nam *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matth 18. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria vsq; ad vltimum terræ.* Actor 1. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marci 16. Neque connaturale erat, vt continuis miraculis de reuelationum Diuinarum existentia edoceremur; ideò Ecclesiam in terris visibilem, infallibilem, & vsque ad sæculi consummationem duraturam instituit, tanquam infallibilem regulam proponentem. Nam *est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* 1. ad Timot. 3. *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matth 16. Ad hunc finem promisit Dei filius Ecclesiam suam assistente semper Veritatis Spiritu directum iri, vt in propositionibus suis errare, & fide deficere nullo modo possit. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis.* Ioan. 14. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Lucæ 19. Porrò pro discernenda Christi Ecclesia, infallibiles, & sectarijs non conuenientes notas controuersis Theologia recenset.

4ta. De Reuelatione virtuali seu mediata ex parte Obiecti.

Dupliciter potest aliquid à Deo reuelari, primò formaliter & secundum se, secundò virtualiter & mediatè, quia scilicet virtualiter includitur in re dicta. Dupliciter quoque possumus vti discursu ad assentiendum propositioni illatæ. primò, tanquam ratione formali, secundò tanquam proponente & explicante, aliquam propositionem formaliter contineri in alia immediatè à Deo reuelata, vt postea illi assentiamur propter ipsum Dei testimonium.

Punct. 1mum. Ad assensum fidei Diuinæ requiritur reuelatio formalis & immediata. Nam *assensus circa obiectum mediatè seu virtualiter reuelatum non potest inniti ipsi authoritati diuinæ, tanquam suo formali motiuo adæquato. Quia talis assensus fundatur immediatè in bonitate consequentiæ, & in connexione sui obiecti cum aliquo alio obiecto, immediatè reuelato, ex quo colligitur illud virtualiter & mediatè reuelatum: ergo talis assensus non est assensus fidei. Tum quia per hoc distinguitur obiectum formale scientiæ Theologicæ ab obiecto fidei, quod licet sit vtriusq; veritas Diuina testificans, fidei tamen Diuinæ non est nisi vt immediatè testificans, Theologicæ vero vt mediatè, quia hoc innititur discursus inferenti conclusionem ex principijs immediatè à Deo reuelatis.* Punct. 2dum. Potest tamen præcedere discursus per modum conditionis explicantis & applicantis reuelationem immediatam ad illam propositionem. Quia ille discursus non erit ratio formalis assentiendi sed tantum explicabit & proponet conclusionem vt immediatè reuelatam.

Punct: 3tiũ. Per discursum ex vna præmissa de fide, & altera naturali certa & euidenti potest sufficienter aliqua propositio explicari, & proponi vt immediatè à Deo reuelata, & consequenter fide Diuina credenda. Nam *quando aliquid reuelatur, secundùm naturam suam reuelatur, hæc autem natura sufficienter explicatur, per propositionem naturalem certam & euidentem. Vnde quia de fide est Christum esse hominem, & lumine naturali aliunde notum est, omnem hominem esse animal rationale, constare corpore & anima, non posse simul esse hominem & non hominem, ideo etiam hæc, ipso naturali lumine sufficienter explicantur & proponuntur, vt formaliter contenta in illa propositione immediatè reuelata, & consequenter fide Diuina credenda.* Punctum 4tum. Quando aliqua propositio Vniuersalis distributiua immediatè reuelatur, sufficienter per præmissam naturalem euidentem explicantur & proponuntur particulares vt immediatè reuelatæ in Vniuersali, atq; adeo fide Diuina credendæ. Quia *omnino idem est, significatum particularium, quod vniuersalis, & ideo qui vniuersalem testatur, testatur omnes particulares, modo in illis formale subiectum vniuersale particularizetur. Vnde quia illa Vniuersalis, omnis homo est sufficienter à Christo redemptus, est immediatè reuelata à Deo, & sufficienter per hanc minorem naturalem, Petrus est homo, explicatur & proponitur illa conclusio, ergo Petrus est redemptus.*

Hoc

Hoc aliqui sentiunt, etiam quando præmissa naturalis explicat proprietatem contentam in præmissa de fide, & ideo volunt illam propositionem, Christus est risibilis, esse de fide. *Existimant enim immediatè esse reuelatam, quod Christus sit homo non solum secundùm ea, quæ dicit homo essentialiter, sed etiam quæ dicit necessariò naturaliter: constat autem certitudine physica, conuenire homini risibilitatem.*

Punctum 5tum. Sufficit aliquando præmissam naturalem, quæ explicat & applicat propositionem de fide, esse tantùm moraliter certam. Nam apud omnes certum est, quod hic v. g. Innocentius XI. sit verus & legitimus summus Pontifex, & hoc Concilium v. g. Tridentinum, sit legitimum; *Quia has propositiones Deus in illa vniuersali, omnis Pontifex legitimè electus, est verus summus Pontifex, & omne Concilium legitimè congregatum, est verum Concilium, intendit immediatè reuelare. Vnde tenetur fidelis credere fide diuinâ determinationes factas ab hoc vel illo Pontifice, aut Concilio. Aliunde verò non possunt hæ particulares explicari, nisi morali certitudine; nam neque Canonicam huius Pontificis electionem, nec legitimam huius Concilij congregationem habemus, nisi per fidem humanam. Vnde spectat ad specialem prouidentiam Dei, ne humanæ certitudini morali subsit falsum; alioquin possemus dubitare, de omnibus fidei articulis à Pontifice & Concilio propositis.*

Punctum 6tum. Hæc ratio non videtur habere locum in alijs conclusionibus Theologicis explicatis per præmissam naturalem moraliter certam. *Quia Deus non videtur eas voluisse reuelare in propositione expressè reuelata. Et quidem certum est quòd cùm Deus reuelauit omnem contritum esse in gratia, intenderit solùm reuelare formale subiectum, nempè contritum vt contritum, non verò materialia, Petrum, Ioannem &c. Constat enim aliunde, noluisse Deum, vt quis haberet certitudinem de sua gratia. Hinc est, quod licet quis haberet certitudinem moralem de sua contritione, non posset fide Diuinâ credere se esse in gratia. Quia non tenetur Deus speciali concursu impedire, ne illi certitudini morali, per quam explicantur materialia subiecta, possit subesse falsum, quandoquidem non intendit illa reuelare.*

Punct. 7mum. Non est improbabile, non tantùm in illis duabus explicatis, sed etiam in alijs conclusionibus Theologicis vt explicatis; sufficere, quòd præmissa explicans sit moraliter certa, modò aliunde non constet, Deum noluisse, in illa vniuersali de fide, has particulares reuelare. *Quare non est improbabile, etiam illas propositiones particulares, v. g. hæc hostia continet in se Christum, hic infans est in gratia; posse fide Diuina credi, modò sit moralis certitudo, & hostiam esse ritè consecratam, & infantem debitè baptizatum, quia non constat Deum has particulares non voluisse reuelare in illis vniuersalibus: omnis hostia legitimè consecrata, continet in se Christum; & omnis ritè baptizatus est in gratia. Nam cùm dicitur neminem scire odione an gratia, sit dignus hoc, de adultis intelligendum est.*

5ta. An Circulus vitiosus committatur in resolutione Fidei.

Punctum 1mum. Circulus vitiosus communiter committitur, quando hoc per illud, seu hæc propositio per illam, & illa vicissim per hanc probatur, apud eum qui neutram concedit, & æquè de vtraq; dubitat: cùm tamen probatio debeat procedere à notis ad ignota, vel à concessis ad inconcessa. *Vnde foret circulus vitiosus, si quis Christianus apud Ethnicum, qui nec Ecclesiam nec scripturam admittit, probare vellet, hanc scripturam esse infallibilem, quia Ecclesia dicit, & Ecclesiam infallibilem quia eadem scriptura dicit.* E contrario verò non foret circulus vitiosus, si vnum per alterum probetur apud eum, qui alterum admittit, alterum negat, vnde sit. Punctum 2dum. Triplex circulus circa fidei resolutionem cogitari potest. *Primus est, circa ipsum formale, quando nimirum credo Deum esse veracem propter eandemmet veracitatem.* Verùm hic circulus non est vitiosus, si sermo sit de ratione formali, & non de ratione proponente, aut applicatione vti puncto 3tio assero. *Secundus inter idem formale & regulas proponentes v. g. authoritatem Ecclesiæ. Nam quod Ecclesia infallibiliter proponat res fidei, non scitur, nisi quia Deus reuelauit, sed quod Deus reuelauerit, non scitur nisi ob Ecclesiæ propositionem, ergò à primo ad vltimum infallibilitas Ecclesiæ scitur, propter ipsum testimonium Ecclesiæ, ac proinde idem probatur per seipsum.* Verùm nec hîc committitur circulus vitiosus. *Si enim quæratur ratio formalis, ob quam creditur aliquid à Deo reuelatum, respondetur, eam esse authoritatem Diuinam: si verò regula proponens quæratur, respondetur eam esse Ecclesiam aut Scripturã, aut aliquam aliam: & ita Ecclesiæ authoritas non probatur per seipsam vt per rationem formalẽ, aut per regulam proponentẽ, sed per authoritatẽ Diuinam probatur tanquam per rationem formalem, per scripturam verò apud illos, qui eam & sensum illius legitimum admittunt, probatur vt per regulam proponentem. Tertius est in rebus fidei vitiosus circulus, inter ipsas regulas proponentes v. g. inter Ecclesiam & Scripturam. Cùm enim quæritur vnde scis, has scripturas esse diuinas, respondes quia Ecclesia infallibili suâ authoritate id dicit, cùm iterũ quæritur, vnde scis Ecclesiam quæ id dicit, habere infallibilem authoritatẽ, respondes, quia scriptura infallibili authoritate suâ id dicit, atq; ita committitur circulus vitiosus probando scripturam per Ecclesiam & Ecclesiam per scripturam.* Vnde sit.

Punct: 3tiũ. Non cõmittitur circulus vitiosus in assensu fidei, quando creditur diuina veracitas propter seipsam; aut quando cognoscitur reuelatio seipsa & non per aliam reuelationem. Nam *quando assensu fidei cognoscitur veracitas Diuina, proter seipsam cognoscitur, tanquam per se nota obscurè, eo ipso enim, quòd infallibiliter testificatur de alijs rebus, testificatur etiam de seipsa, & reuelatio alicuius rei, est simul reuelatio sui ipsius, ergo non committitur circulus vitiosus. Nam cùm aliquid cognoscitur propter seipsum & non propter aliud à se distinctum, quia per se est notum*

euidenter

euidenter aut obscurè, tunc non committitur circulus vitiosus. Cùm igitur tam authoritas Diuina, quàm reuelatio sit vltimum in suo genere, nequaquam vitiosus circulus committitur sistendo in illis: sicut cùm in aliqua demonstratione sistitur in primis principijs Quamuis in hoc sit discrimen, quod in demonstratione sistatur in aliquo principio per se euidenter noto, in assensu verò fidei non sistitur in aliquo euidenti principio. Cùm enim omnis assensus fidei Diuinæ debet esse obscurus non potest sistere in motiuo nisi obscuro. Punctum 4tum. Neque inter formale Motiuum & regulas proponentes committitur vitiosus circulus in resolutione fidei. Quia quando creditur aliqua regula fidei nostræ v. g. authoritas infallibilis Ecclesiæ, tunc ad illum actum eadem authoritas neque assumitur tanquam ratio formalis motiua, neque etiam tanquam Motiuum credibilitatis vel regula proponens. Punctum 5tum. Inter ipsas etiam regulas proponentes non committitur vitiosus circulus in resolutione fidei. *Quia vna regula non est ratio formalis credendi alteram, neq; vllo modo probamus vnam per alteram v. g. Ecclesiam per scripturam, aut hanc per illam, apud eos, qui vtramq; negant, sed qui alterutram admittunt, & sic quia Caluinista admittit scripturam, negat Ecclesiæ infallibilitatē, rectè sic conuincitur: scriptura quam tu admittis, dicit Ecclesiam esse infallibilem, ergo est infallibilis.*

6ta. De Resolutione Fidei nostræ.

Punctum 1mum. Resolutio est quidam mentis regressus, seu cognitio quasi reflexa circa assensum v. g. fidei, assignans motiuum eius formale, & alia principia requisita, à quibus aliquomodo dependet, addendo vnicuiq; proprium modum, secundùm quem ab illo dependet. A varijs enim in diuerso genere causæ vel quasi causæ dependet, nempe 1mò à dispositionibus præuijs excitātibus intellectum ad assensum fidei, vti sunt illustrationes, inspirationes alijq; actus supernaturales & motiua credibilitatis. 2dò dependet ab authoritate Ecclesiæ. 3tio ab authoritate Dei reuelantis. 4tò ab habitu fidei &c. Punctum 2dum. Vltima resolutio fidei nostræ non fit in authoritatem Ecclesiæ, tanquam in rationem formalem assentiendi, sed tanquam in regulam proponentem. *Hoc ipsum enim, quod Ecclesia habeat infallibilem authoritatem proponendi res fidei propter assistentiam & directionem Spiritûs Sancti, hoc ipsum inquam credimus propter authoritatem Diuinam, ergo assensus fidei non resoluitur vltimò in authoritatem Ecclesiæ. Tum quia eâ ratione fides nostra resoluitur in testimonium Ecclesiæ, qua ex eo gignitur, nimirum tanquam ex regula infallibili proponente res credendas, ergo eodem modo resoluitur in illud. Vnde constat assensum fidei absolutè loquendo non pendere essentialiter ab hac regula.* Neque verò ex eo, quia actus humanæ fidei, æquè resoluitur in authoritatem dicentis & in authoritatem referentis dictum alterius; sequitur eodem modo fidem diuinam resolui in authoritatem Dei dicentis, & authoritatem Ecclesiæ Verbum Dei referentis & proponentis. *Nam authoritas*

utriusq; hominis est eiusdem rationis seu ordinis, & una est independens ab alia, & non repugnat vtramq; esse æquè vltimum motiuum assentiendi fide humana. At verò cùm authoritas Ecclesiæ non sit eiusdem ordinis cum diuina, & illa dependeat essentialiter ab hac, ideò fides diuina supernaturalis non potest æquè vltimò resolui in illam duplicem authoritatem. Neq; etiam ex eo, quia authoritas Ecclesiæ dicitur diuina, sequitur eam esse vltimum resolutorium : *cùm non sit formaliter & intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, & participatiuè talis. Vnde quando credimus aliqua præcisè ob authoritatem Ecclesiæ. Quia nimirum non sunt immediatè à* Deo *reuelata, illa fides poterit quidem esse supernaturalis non tamen Theologica, sed alterius speciei.*

Punctum 3tium. Vt sciatur quando Ecclesia habeat se per modum regulæ proponentis, dupliciter distinguenda est. 1mò vt est congregatio hominum toto orbe dispersorum constans pluribus viris sanctissimis, miraculosis : & quæ iam à Christi temporibus semper in eadem fide, sine vlla vel minima mutatione, maximo consensu, inter tàm varia ingenia diuersaùq; nationes, inter tot oppugnationes constantissimè per tot sæcula hactenùs perseuerat. 2dò, quatenùs est infallibilis in proponendo res fidei, propter assistentiam Spiritûs S. Si *igitur primo modo sumatur Ecclesia, sic pertinet ad motiua credibilitatis, & potest dirigere etiam infideles. Nam ipso lumine naturæ constat, fieri non posse vllo modo, vt tot ac tam varij homines præsertim doctissimi, tàm concorditer ac constanter circa res tam varias aberrent : vt in omnibus falsis opinionibus patet. Si verò secundo modo spectetur Ecclesia, sic authoritas illius solos fideles dirigere potest, quia his solis ex fide constat, de hac assistentia Spiritûs Sancti.* Punctum 4tum. Assensus fidei nostræ resoluitur in authoritatem diuinam reuelantem vt cognitam ipsa fide diuina. Nam *cognitio aut euidentia naturalis authoritatis diuinæ, neque est necessaria, neq; sufficit ad credendum per fidem infusam, ea, quæ Deus reuelat. Multi enim simplices verè credunt fide infusa & tamen de Deo nihil euidenter cognoscunt. Imò etiam sapientes Christiani priùs credunt, quàm assequantur scientiam demonstrationis de Deo : Hanc enim non assequuntur nisi post multam ætatem, credunt autem à principio vsûs rationis. Igitur euidentia naturalis authoritatis Diuinæ non est necessaria, consequenter nec assensus fidei resoluitur vel fundatur in authoritate Diuina reuelante vt cognita naturaliter, sed vt cognita fide ipsa diuina.* Immo nec sufficit cognitio naturalis authoritatis diuinæ, *cùm assensus altioris ordinis, & maioris certitudinis non possit fundari, in assensu inferioris ordinis, & minoris certitudinis. Tota enim perfectio effectûs est ex causa, & tota firmitas ædificij ex firmitate fundamenti.* Neq; etiam ex eo, quod fides supponat obiectum formale motiuum cognitum, sequitur præsupponi cognitum, cognitione naturali. *Nam ante materiale supponitur præcognitum formale tantùm ordine rationis. Cùm enim vtrumq; illud obiectum eodem indiuisibili actu attingatur, non potest esse inter cognitionem illorum prioritas naturæ. Quod multò magis verùm est si obiectum materiale & formale sit omninò idem.*

7ma. De

7ma. De Reuelatione apparente seu existimata.

Pun: 1mũ. Reuelatio tantùm existimata non sufficit ad assensum fidei Theologicæ. Tum *quia fidei diuinæ non potest subesse falsũ.* Tum quia *non est dabilis fides diuina sine suo obiecto formali, quod est Veritas diuina testificans.* Tum quia *rueret tota fidei nostræ certitudo. Dubitari enim posset, an obiectum fidei verè esset reuelatum, vel tantùm putatitiè seu an tantùm existimetur reuelatum.* Neq; ex eo, quod alicui simplici & rudi sufficienter possit obiectum proponi tanquam reuelatum, quod tamen non sit reuelatum, sequitur talem propositionem non modo excusaturam ab errore, sed etiam obligaturam ad credendum, consequenter suffecturam existimatam reuelationem ad assensum fidei. *Nam licet eiusmodi sufficiens propositio & instructio de obiecto credendo sit excusatura ab errore, nullo tamen modo poterit obligare reipsa ad assensum fidei Theologicæ, cùm sublatâ existentiâ reuelationis impossibilis sit assensus fidei Theologicæ defectu motiui sui formalis. Obligabitur tamen ad non discredendum & præterea ad assensum, qualem potest habere, qui quidem licet non esset fidei humanæ, quia non niteretur testimonio humano, sed Dei apprehenso, esset tamen assensus omninò naturalis non minùs errori obnoxius; quàm assensus fidei humanæ.* Punctum 2dum. Licet in alijs virtutibus seu habitibus, qui non sunt euidentes non minùs eliciatur actus virtutis propter rationem formalem obiecti existimatam, quàm veram v. g. qui adorat hostiam, quam prudenter existimat esse consecratam, licet consecrata non sit, exercet verum actum religionis : & qui dat pauperi ficto eleëmosynam, exercet actum misericordiæ ; nullo tamen modo exercet actum fidei Theologicæ, qui credit ob existimatam reuelationem. *Quia actus voluntatis participat honestatem ex bonitate obiecti vt talis apprehensi, quamuis fortasse in re non sit tale. At verò actûs intellectûs veritas & certitudo desumitur ex ipso obiecto & proinde requirit existentiam talis obiecti.* Vnde constat primo.

Punct: 3tium. Virtus prudentiæ infusæ nunquam dictat falsum ; non enim dictat absolutè v. g hanc hostiam esse consecratam, quæ non est consecrata, sed solùm dictat probabile esse, attentis circumstantijs hîc & nunc hanc hostiam esse consecratam, ac proinde attentis ijs circumstantijs conueniens esse adorationẽ illi exhibere. Constat secundò. Posse etiã imperari per actum supernaturalem piæ affectionis assensum circa talem rem. *Si enim potest prudentia infusa indicare, rem illam esse credibilem, quantum est ex tali instructione, & informatione, non apparet quare etiam voluntas non possit moueri per affectum supernaturalem, vt captiuet intellectum : maximè quòd sine tali actu voluntatis, non esset meritorius ille assensus, cùm tamen videatur omninò præmio dignus, quandoquidem non minorem hîc vincit difficultatem, captiuando intellectum, idq; ob reuerentiam Deo debitam, quàm si verè subesset reuelatio. Quòd autem hic affectus hîc & nunc in assensum falsum inclinet, est merè per accidens, ex quo nullum inconueniens redundat in Deum.*

 An

812. An voluntas determinet intellectum ad assensum fidei?

Punctum 1mum. Sicut dupliciter intellectus noster potest esse ex se indeterminatus, respectu alicuius obiecti, ita dupliciter potest esse necessaria motio voluntatis. Primò quoad speciem actûs: *quia videlicet ipse intellectus est ex se indeterminatus circa tale obiectum ad hunc specie actum vel oppositum.* Secundò quoad exercitium tantùm, *quia non potest quidem elicere v. g. dissensum circa aliquod obiectum, non tamen est determinatus ex se, seu ratione motiui formalis ad eliciendum assensum circa idem.* **Punctum 2dum.** Dupliciter potest intellectus noster à voluntate moueri, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem actûs. Primò remotè, *quatenus mouet & applicat illum ad inquirendas & perpendendas rationes, quibus moueatur ad talem actum.* Secundò proximè, *quando propositis iam sufficienter obiecto & rationibus, adhuc intellectus illis non conuincitur, sed determinatur immediatè à voluntate, vt tali obiecto propter huiusmodi motiua assentiatur potiùs, quàm dissentiat.* **Punctum 3tium.** Ad assensum fidei Theologicæ, necessariò præterequiritur motio voluntatis, quâ intellectus immediatè ad assensum determinatur. Tum *quia credentes dicuntur obedire fidei, obedire autem significat actum voluntatis: Multa turba sacerdotum obediebat fidei.* Actor. 6. *Multa potest facere homo non volens, credere autem non potest nisi volens* S. Aug tract. 26. in Ioan. Tum quia actus fidei Theologicæ est liber; credere enim aut non credere imputatur homini ad laudem vel vituperium. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Ioan. 20. *Totâ die expandi manus meas, ad populum non credentem, & contradicentem.* Rom. 10 *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94 *Excitati diuinâ gratiâ & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.* Trid. sess. 6. c. 6. Tum *quia obiectum formale fidei est obscurum, quare non potest determinare intellectum: hic enim non potest determinari ab obiecto nisi sit euidens.* **Punctum 4tum.** Voluntas nostra ordinariè in assensu fidei Diuinæ, determinat intellectum, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem actûs. *Propositis enim obiectis fidei communiter intellectus noster ita est determinatus, vt possit iis, non solùm non assentiri, sed etiam dissentiri, uti patet experientiâ in multis, qui obiectis fidei sufficienter propositis discredunt, ergò ordinariè voluntas determinat intellectum, etiam quoad specificationem.* **Punctum 5tum.** Tametsi illi, quibus immediatè clarè sunt reuelata mysteria fidei, non potuerint illis dissentiri, sed necessariò iudicârint ea esse vera, adhuc tamen liberè elicuerunt assensum fidei, & indiguerunt motione voluntatis, quoad exercitium actûs. *Quamuis enim hi ex testimonio diuino clarè cognito per necessariam, & euidentem consequentiam clarè deducebant, illas res esse necessariò veras, hac tamen ratione non mouebantur immediatè ad assensum fidei. Quia illa euidentia, non fuit talis, quæ tantam posset fundare*

dare

dare certitudinem, quantam debet habere actus fidei Diuinæ. Vnde illa euidens cognitio, habuit se in illis per modum proponentis obiectum, immediatè verò non poterat mouere ad assensum fidei proportionatè, nisi propter testimonium Diuinum, & quidem simili assensu creditum. Et sic mouebantur ad assensum obiecto formali vt cognito obscurè, à quo proinde non potuerant sufficienter determinari, adeóq; indigebant motione immediata à voluntate. Vndè discrimen apparet inter fidem diuinam & humanam, ac opinionem. *Quamuis enim medium fidei humanæ aut opinionis non probet sua obiecta esse euidenter vera, probat tamen clarè esse euidenter probabilia, atque ita intellectus ab eius euidentia independenter à motione voluntatis poterit determinari ad assensum, quo indicet ea euidenter esse probabilia, & consequenter probabiliter vera.* Secus est in fide diuina, quæ nititur motiuo obscurè credito, & firmiùs adhæret rei creditæ, quàm vlla euidentia naturalis eam probet.

9na. An Actus Fidei sit discursiuus?

Punct. 1mum. Duplex potest esse discursus, cui fides innitatur, primus inter obiectum formale, & materialia, assumendo videlicet ipsam rationem formalem credendi, seu testimonium diuinum pro medio Syllogismi: hoc modo. Quidquid Deus dicit, est verum, sed Filium Dei esse incarnatum Deus dicit, ergo Filium Dei esse incarnatum, est verum. Secundus potest esse inter ipsa obiecta materialia nempe ex vna proprietate rei reuelatæ inferendo alteram, vel ex vniuersali reuelata particularem. Punct. 2dum. Omnis assensus fidei Diuinæ est ita simplex, vt nullo modo possit per se fundari in discursu. *Tum quia fides est certior quàuis cognitione naturali, supposito verò quòd niteretur per se discursu non esset certior cognitione naturali bonitatis consequentiæ, quia per se inniteretur illi. Tum quia sequeretur multos rudes non elicere assensum fidei diuinæ certum, quia non vident bonitatem consequentiæ & certitudinem, nec possunt certò scire, qui sint boni Syllogismi. Tum quia assensus fidei diuinæ debet adæquatè niti ipsi authoritati Diuinæ reuelanti, si verò esset discursiuus, obiectum illius formale adæquatum, non esset authoritas Diuina reuelans, sed simul bonitas consequentiæ obiectiua, quæ in omni argumentatione complet intrinsecè rationem formalem assentiendi.* Punct. 3tium. Ex eo quia obiectum Materiale cognoscitur propter formale, non sequitur fidem esse discursiuam. *Ad hanc enim requireretur, vt vna veritas cognosceretur propter aliam diuerso realiter actu. Discurrere enim non est quomodocunq; cognoscere vnum propter aliud, sed ita, vt ly propter non tantùm teneat se ex parte obiecti, sed etiam actûs.* Licet verò obiectum formale fidei nonnisi vt cognitum moueat, ad assensum obiecti materialis, non tamen priùs naturâ est cognitio obiecti formalis, quàm materialis. *Sufficit enim si sit prior ratione seu præsuppositione formali vel rationis. Si verò dicatur veram esse hanc causalem, ideo in-*

tellectus assentitur materiali, quia assentitur formali; consequenter est distinctio realis inter istos assensus: Respondeo per hanc causalem non significari aliquam dependentiam realem, cognitionis vnius obiecti, à cognitione alterius obiecti, sed tantùm formalem. Vnde etiam colligitur obiectum formale, realitate assensus vt terminati ad se mouere aliquomodo ad realitatem assensus vt terminati ad materiale, sumendo istas realitates inadæquatè & mouere motione non reali & physica, sed metaphysica & intentionali, secundùm vnam rationem explicitam, ad aliam rationem explicitam.

10ma. De Certitudine Fidei Diuinæ.

Punctum 1mum. *Certitudo alia est simpliciter, quæ excludit omnem formidinem, & periculum falsitatis: alia secundùm quid, quæ non omninò excludit: vt est certitudo moralis, imò & physica. Rursus certitudo alia est ex parte obiecti, alia ex parte subiecti. Illa fundatur in infallibitate obiecti, Certitudo verò ex parte subiecti, rectè dicitur ædhæsionis, quæ consistit in modo assentiendi sine hæsitatione. Hæc iterum alia est consentanea subiecto, ac prudenter & secundùm rectam rationem illi tribuitur: alia est excedens capacitatem subiecti, ac proinde imprudenter concepta, & talis pertinacia potiùs est dicenda, quàm certitudo.* Punctum 2dum. Ad certitudinem ex parte obiecti, quando habetur per aliquod medium, requiritur non solùm, vt ipsum medium habeat necessariam connexionem cum veritate obiecti, sed etiam vt modus eo medio vtendi sit infallibilis. *Vnde quamuis hæreticus crederet aliqua vera mysteria fidei, præcisè propter testimonium Dei, illius tamen assensus non esset verè & propriè certus, quia in applicatione huius motiui, non vtitur infallibili regulâ, sed sequitur fallibiles notas; quod vel inde patet, Quia secundùm easdē notas, non solùm vera, sed etiam falsa indicat credenda.* Punctum 3tium. Actus fidei Diuinæ, licet sit obscurus est tamen simpliciter certus. *Habete fidem Dei: Amen dico vobis quia quicunq; dixerit huic monti: tollêre, & mittêre in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit; quia, quidcunq; dixerit fiat, fiet ei.* Marci 11. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* 2. Timot. 1. *Faciliùs est cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Lucæ 16. Tum *quia fides nititur obiecto formali omninò infallibili, consequenter est certa ex parte obiecti.* Tum *quia fideles ita credunt res fidei, vt nullum timeant periculum falsitatis, vnde assensus fidei, non solùm habet certitudinem obiectiuam, sed etiam subiectiuam seu adhæsionis* Tum *quia actus fidei est supernaturalis & diuinus, ad quem Deus specialiter mouet, quare præter illam duplicem certitudinem, habet hanc tertiam, ipsis cognitionibus supernaturalibus propriam, quæ nimirum ex proprijs illarum principijs ducit originem.* Punctum 4tum. Assensus fidei Catholicæ est absolutè certior quâuis alia cognitione naturali, siquidem certitudo fidei nititur altioribus principijs, quàm vlla cognitio naturalis. *Fundatur enim intrinsecè in prima veritate, quam fallere vel falli est impossibiùs, quàm vllam cognitionem naturalem*

lem errare. Tum etiam *quia certitudo fidei pendet ex lumine infuso & diuino, quod longè est excellentius, quàm lumen naturale intellectûs, vnde habet excellentiorem certitudinem. Præterea modus, quo fides vtitur suo medio, seu obiecto formali, est omninò infallibilis; Iudicium enim, quod assensum fidei præcedit, illis notis seu rationibus nititur, quas non quidem secundùm se sumptas, sed prout subsunt diuinæ prouidentiæ, magis implicat fallere, quàm implicat fallere vllam aliam cognitionem naturalem. Nam cùm Deus eas notas nobis assignet, vt per eas cognoscamus, quæ debeamus credere, si hæ vlla ratione fallerent, Deus moraliter loquendo nos falleret. Ipse quoq; promisit se Ecclesiæ suæ perpetuò adstiturum, ne in proponendis rebus fidei erret.*

Punctum 5tum. Licet particulari alicui homini possit proponi aliquid falsum, ita sufficienter, vt ille ratione suæ simplicitatis, & inuincibilis ignorantiæ prudenter possit existimare esse à Deo reuelatum, impossibile tamen est, vt aliquid proponatur verè & in re sufficienter, siue vt probetur aliquid ijs notis, quibus solemus credibilitatem fidei nostræ probare. *Vnde ille deciperetur ideo, quia non niteretur veris credibilitatis motiuis, sed vanis aliquibus rationibus, quas putaret esse sufficientes notas. Prudenter nihilominùs vellet hîc & nunc credere, non quia illi sufficienter in re proponatur tale obiectum tanquam à* Deo *reuelatum, sed ratione ipsius simplicitatis, & inuincibilis ignorantiæ, quæ facit, vt actus illius sit prudens, qui alioquin esset imprudens. Cæterùm; non potest aliquid toti Ecclesiæ sufficienter proponi, quod non sit verè reuelatum: Ecclesia enim non potest errare etiam inuincibiliter.*

Punctum 6tum. Vna implicantia potest esse maior alterâ, *cùm possint reperiri in vna, maiora vel altiora fundamenta, quàm in altera. Vnde licet cognitionem primorum principiorum, v. g. Omne totum est maius suâ parte, implicet esse falsam, certior tamen est actus fidei ob plura & altiora fundamenta.* Neque ex eo fidei sua imminuitur certitudo, quòd scientia potiùs quàm fides videatur expellere omnem dubitationem. *Nam si sermo sit de vera dubitatione, hanc omninò expellit fides, si verò sermo sit de quibusdam indeliberatis motibus dubitationis, non arguunt hi minorem certitudinem assensûs, sed potiùs minorem euidentiam obiecti, aut quòd plures rationes euidentes apparenter, in contrarium occurrant.*

11ma. De Spe Theologica.

Punctum 1mum. Obiectum materiale principale est Deus, vt est summum bonum, minùs verò principale & secundarium est visio beata. Formale respectu primarij materialis, est sola bonitas illius, quâ ipsi speranti est bonus. *Dedit ei gloriam, vt fides vestra & spes esset in Deo.* 1. Petri 1. *Spera in Domino & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius.* Psal. 36. Punctum 2dum. Stante præsenti decretorum Diuinorum ordine, non potest Deus vlli reuelare suam damnationem absolutè & assertoriè: secus de potentia absoluta loquendo, cui esset reuelata damnatio absolutè, non posset sperare suâ beatitudinem, vtpote quam certò co-

gnoſcit ſe non aſſecuturum ſtante infallibili reuelatione Dei. Vnde & talis licitè poſitiuè deſperaret, non quidem iudicando beatitudinem non eſſe expetendam, ſed ſe certò eam nunquam aſſecuturum.

12ma. De Charitate Theologica.

Inter iuſtos & Deum intercedit amicitia non quidem æqualitatis ſed proportionis. *Ego diligentes me diligo.* Prouerb. 8. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Ioan. 14. *Sanctiſſimæ Paſſionis merito, per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret, vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per* IESVM *Chriſtũ, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.* Trid. ſeſſ. 6. c. 7. Si perfecta ſit Charitas, Deum ſuper omnia appretiat. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* Ioan. 15. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Ioan. 14. Idem Habitus Charitatis eſt etiam amicitia hominis ad hominem. *Si quis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* 1. Ioan. 4. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Rom. 13. Bene deſcribitur Amor, quo Deus propter ſe diligitur, proximus propter Deum.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ,

DE IVRE & IVSTITIA.

Propugnante & Præſide iiſdem, quibus ſupra.

1ma. De Iuſtitia Generali & Particulari.

Punctum 1mum. Iuſtitia alia eſt Generalis ſeu Legalis, alia Particularis; Quemadmodum homo in humana ſocietate dupliciter conſiderari poteſt: primò tanquam pars ad partem, ſeu ciuis ad ciuem; ſecundò, tanquam pars ad totum, ſeu ciuis ad communitatem; ita duplex jus & conſequenter duplex juſtitia oritur. Vnde rectè Ariſtoteles 3. polit. c. 3. *Non eadem eſt Virtus boni Viri, & boni ciuis. Complures enim,* ait idem in 5. Ethic. c. 1., *in proprijs quidem virtute vti poſſunt; ſed in ijs quæ ſunt ad alium,* (præſertim erga Rempub.) *nequeunt. Et propterea ſententia Biantis illa bene ſe habet: Magiſtratus virum oſtendet.*

Punctum 2dum. Iuſtitia Generalis omnes virtutes morales in ſe comprehendit, non vniuerſalitate prædicationis, ſicut animal, ſed vniuerſalitate cauſæ, ſicut Sol reſpectu aliorum corporũ, cuius virtute illuminantur, generantur, & conſeruantur.

uantur. *Iustitia enim generalis reliquis virtutibus imperans earum actiones ad Reipublicæ bonum refert.* Quam proinde appellat Arist. *perfectum*, 5. Ethic. c. 1. *quæ vna in se virtutes continet omnes, vt neque Hesperus ita, neque Lucifer homines admiratione afficiat*. Porrò in Principe seu Magistratu leges decernente ob Reipublicæ commodum inest quasi *architectonicè*, in subditis verò *ministerialiter*.

Punctum 3tium. *Particularis Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi.* Vlpianus in Lib. 10. ff. de Iust. & iure. Quare tria ad proprietatem iustitiæ particularis requiruntur: vt sit ad alterum simpliciter, vt versetur circa debitum, vt reddat ad æqualitatem. Vnde defectu alteritatis inter Patrem & filium, dominum ac seruum, maritum ac vxorem, non est propriè ac simpliciter iustum, sed secundùm quid. *Iustum* inquam *paternum, herile, & Oeconomicum. Nam Filius est aliquid Patris, quia quodammodo est pars eius, vt dicitur in 8. Ethicorum, & seruus est aliquid Domini, quia est instrumentum eius, vt dicitur* in 1. Pol. *Vxor autem quamuis sit aliquid viri, quia comparatur ad eum, sicut ad proprium corpus, vt patet per Apostolum ad Ephes.* 5. *tamen magis distinguitur à viro, quàm filius à patre &c.* S. Thom. 2. 2. qu. 57. ar. 4. Ideò *Iustum Oeconomicum magis ad proprietatem iusti accedere, quàm herile ac paternum,* rectè dicit Arist. 5. Ethic. c. 6. Vxor enim in familiæ administratione est viri socia, in iure autem coniugij omninò par. Punctum 4tum. Licet iustum Paternum recedat à proprietate iusti, quod attinet ad æqualitatem inter diuersas partes statuendam, non tamen quod attinet rationem debiti, imò maior est obligatio pietatis Patris erga filium & vice versa, quàm iustitiæ ciuilis, grauius enim delinquit filius, si in Patrem sit contumeliosus, quàm si in alium ciuem iniurius.

Punct 5tum. Inter dictas personas materialiter acceptas, intercedit rigorosum ius iustitiæ. Sic enim personæ sunt sufficienter distinctæ, & singulæ habent separata bona v. g. vita, fama, sanitas; item bona fortunæ aliqua parapherna vxoris, castrensia filij &c.

2da. De Personarum altereitate requisita ad Iustitiam.

Punctum 1mum. Iustitia est virtus ad alterum. *Cuius enim virtutis obiectum est ad alterum, oportet & ipsam esse ad alterum. Siquidem obiectum formale ex eo, quòd formale sit, specificat & format virtutem; cùm ergò iustitiæ obiectum formale sit ad alterum, necesse est, ipsam esse ad alterum. Porrò obiectum iustitiæ esse ad alterum, patet ex æqualitate cum iure alieno, quàm iustitia per se respicit, nihil siquidem sibi æquale est, sed alteri. Et certè si æqualitas non esset ad alterum, relatio non esset ad aliud: æqualitas enim est quædã relationis species* Punct. 2dũ. Quodsi quis suum ius defenderet, vel vendicaret ab alio possessum, iustè ageret, essetque iustitia ad alterum, *non quidem propter actum positiuum conseruandi ius, sed propter actum negatiuum, non accipiendi aliquid ex rebus alterius.* *Ideò enim qui res*

ſuas defendit, dicitur iuſtè agere, quia nihil accipit de alieno, & non violat ius alterius. Quodſi creditor deſideret ſibi ſolui à debitore ex motiuo formali iuſtitiæ; non videtur quidem in rigore eſſe actus iuſtitiæ, cùm nemo videatur ideò eſſe gratus, quia deſiderat aliquem ſibi eſſe gratum; nec ex eo liberalis dicatur, quia optat alium erga ſe eſſe liberalem: *nihilominùs reduci poteſt ad virtutem iuſtitiæ; Tum quia talis actus & deſideria gratitudinis & liberalitatis alienæ procedunt ex affectu ad honeſtatem obiectiuam illarum virtutum, deſiderando alteri earum virtutum actus: tum quia reſpectu iuſtitiæ datur altereitas non quidem deſiderantis, ſed altereitas in obiecto deſiderato. Actio enim à creditore deſiderata importat actum ſolutionis ponendum à creditore, in quo obiecto eſt ſufficiens altereitas.* Quod ſi verò Petrus peteret, vt occideretur à Paulo: vel maritus cederet iure ſuo in ordine ad ſuam vxorem, occidens non ageret quidem contra ius occiſi, quod iam eſt remiſſum & deobligans; ageret tamē contra ius communitatis & Reipub. *Reſp. enim habet ius in vitam priuatorum non ſolùm auferendam ſed etiam conſeruandam; ſimiliter habet ius altum in coniuges bonumq́; commune, cui opponitur promiſcuus corporum vſus. Quare tam occidens, quàm adulterans peccabit contra iuſtitiam. Neq́; enim ius priuatum ſibi ſubordinat ius publicū & commune, ſed è contrario: vnde & ceſſio iuris priuati non poteſt præiudicare iuri communi. Hinc etiam patet non deeſſe altereitatem requiſitam ad iuſtitiam, ſiquidem in Repub. reperitur rigoroſa altereitas, tam reſpectu occidentis, quàm adulterantis.* Punctum 3tium. Inuenitur quoq́; altereitas requiſita ad iuſtitiam, ſi tutor ex bonis clientis ex motiuo iuſtitiæ ſibi ſatisfaciat, vel Theſaurarius ex bonis regni ſibi priuato obligati; *Sunt enim duæ perſonæ moraliter & æquiualenter. Vnde Theſaurarius vt perſona publica ſoluit ſibi quà priuatæ; & perſona tutoris ſoluit ſibi vt homini priuato materialiter ſumpto vel certè tutor non nomine proprio, ſed clientis ſibi compenſat: ſimiliter theſaurarius non nomine proprio, ſed nomine Reip. ſibi ſoluit, quæ ſufficientem altereitatem ab illo habet, ſicut & cliens a tutore.* Punctum 4tum. Si vnus idemq́; replicetur, & occurrat ſibi atq́; colaphum impingat, ſeipſum percutiens, poterit deprecari ſeipſum percuſſum, & quidem ex iuſtitia; compenſando bono malum. In replicato enim eſt altereitas æquiualenter. *Minimè verò defuit altereitas in Chriſto, qui ex iuſtitia pro peccatis, non ſolùm Patri & Spiritui Sancto ſatisfecit, ſed etiam ſibi; ſiquidem illius ſatisfactio reſpiciebat altereitatem obligati, ſcilicet humani generis, & eius, cui obligabatur. Præterea ſatisfactio Chriſti elicitiuè pēdebat à natura humana, quæ habebat altereitatem ab eſſentia Verbi; Adextremùm ſatisfactio hæc non erat ex rigoroſa iuſtitia.* Punctum 5tum. Vi actuum ſecundariorum & minùs principalium iuſtitiæ, nemo poteſt dici rigoroſè iuſtus.

3tia. De iuſtitia diſtributiua, cōmutatiua, & vindicatiua.

Punctum 1mum. Iuſtitia particularis vel partem diſponit ad partem, & eatenùs,

tenùs, quia dirigit nos in commutationibus, nomen habet commutatiuæ. Vel etiam totum erga partem, id est Rempubl. erga hominem priuatum, & eatenùs, quia dirigit nos in distributionibus communium & commodorum & onerum, distributiua dicitur. Punctum 2dum. Iusta distributio semper exigit plures personas, quas inter se comparet. *Princeps enim, qui distribuit fauores in subditos, debet attendere proportionem meritorum, idem est de oneribus imponendis. Nam meritis personarum commensuranda sunt præmia non simpliciter quidem ac Arithmeticè, dando rem æqualem pro æquali, sed attentâ proportione geometricâ.* Quare secundùm Aristot: *Proportio geometrica continetur quatuor terminis* 5. *Ethic. c.* 3. *Quorum duo sunt eæ partes communium bonorum, quæ duobus hominibus tribuuntur, alij sunt ipsæ dignitates eiusmodi hominum.* Quodsi detur præmium vnum in indiuiduo, pro quo certent plures competitores, adhuc poterit seruari proportio personalis meritorum, & conferri digniori: licet per accidens nequeat dari pluribus: Quia præmium est res indiuisibilis. *Id enim non ex natura iustitiæ distributiuæ, quæ quotiescunq; potest, iuxta merita distribuit, accidit.* Quod si vnus tantùm daretur candidatus, adhuc dabitur comparatio requisita, *siquidem saltem dignus poterit præferri indignis.* Si verò daretur simpliciter digno, præmium sine comparatione cùm alijs, *non erit actus justitiæ distributiuæ, sed gubernatiuæ v. g. aut alterius virtutis.* Punctum 3tium. Iustitia distributiua & commutatiua differunt essentialiter. *Æqualitas enim vtriusq; fundatur in jure valdè diuerso; siquidem æqualitas commutatiuæ, respicit ius strictum, quod quis habet circa rem suam, distributiuæ verò respicit ius minùs strictum, vt pote dignitatem personæ in ordine ad honores Reipubl: participandos. Præterea Commutatiua in bonis partium vitè commutandis se occupat: distributiua in bonis communitatis. Illa respicit Arithmeticam æqualitatem, hæc geometricam.* Quod si aliquando per accidens, nequit obtineri æqualitas solutionis cum debitis, vt si non sis soluendo tria diuersa debita, totidē creditoribus diuersis, adeoque debeas singulis soluere plus minùs pro rata debiti, *non rectè tamen inferetur hinc à commutatiua justitia respici æqualitatem geometricam Tum quia per accidens id, & non per se ex ratione justitiæ commutatiuæ euenit, illa enim propositio geometrica per se non intenditur, sed vt inde quantum fieri potest, resultet æqualitas arithmetica saltem inchoatiuè. Tum quia hîc non tam seruatur proportio geometrica cum respectu ad personam singulariter dignam, quàm ad rem debitam.* Punctum 4tum. Violatione solius distributiuæ non inducitur onus restitutionis: *Siquidem violatio non priuat illum jure suo propriè dicto. Iniquus enim distributor, negligit solùm facere id, quod ei ex officio incumbit. Sicut ergo, qui negligit officium religionis, obedientiæ, charitatis, & non lædit ius propriè, nec tenetur restituere: aliàs qui negligeret missam decem vicibus, teneretur vices neglectas compensare.* Punctum 5tum. Iustitia vindicatiua aliquomodo proportionatur commu-

tatiuæ: quandoquidem secundùm quantitatem delicti decernit & pœnam. Deuter. 25. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.*

4ta. De Dominio.

Punctum 1mum. Dominium aliud est iurisdictionis, aliud proprietatis. *Illud est potestas gubernandi subditos, præcipiendo, prohibendo, permittendo, judicando, puniendo, præmiando.* Hoc est *ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Bartolus in L. si quis vi. § differentia, ff. de acquirend. possessione. Vel est facultas disponendi de re aliqua in vsum omnem lege non prohibitum; Lex enim, etsi non auferat Dominium, ligat tamen eius exercitium aliquando: sicut Apostolus ad Galat. 4. ait de pupilli dominio. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium.* Porrò dominium proprietatis aliud est perfectum, aliud imperfectum; Perfectum, quod immediatè definitum est, gaudet & proprietate & emolumentis. Imperfectum vel solam proprietatem rei habet, & dicitur directum, vel solam vtilitatem rei habet absq; proprietate, & vtile vocatur. Punctum 2dum. *Vsusfructus est ius vtendi ac fruendi re alienâ, saluâ eius substantiâ.* L. 1. ff. de vsufructu. Per ius vtendi ac fruendi distinguitur à mero vsu. *Vsufructuarius enim omnes fructus ex re fructifera percipere potest, etiam pensiones ac reditus ex ædificijs.* L. vsufructu legato. ff. de vsufructu. Item prouentus piscationum & venationum. Secus verò Vsuarius. *Cui enim nudus vsus horti v. g. concessus est, is non potest omnes fructus ex eo percipere, assumere, vel alienare, sed tantum ad suum, familiæ & hospitum victum. Similiter ex grege ouium, vaccarum, lac ad victum quotidianum.* L. 1. & 2, ff. de vsu & Habitatione. Præterea per ly ius vtendi ac fruendi distinguitur à iure, quod *creditor habet in pignore, depositarius in deposito. Hi enim re oppignoratâ & depositâ vti & frui non possunt.* Potest ad hæc vsufructuarius rem fructigeram alteri locare, aut concedere etiam inuito proprietario. Non potest tamen substantiam, seu rem ipsam, in qua vsumfructum habet, donare vendere &c. Punctum 3tium: *Vsus est ius vtendi tantùm* (non fruendi) *re alienâ, saluâ eius substantiâ*: sicut colligitur ex L. 1. & 2. ff. de vsu & habit. Dicitur ius, *quia non loquimur de vsu facti, qualis est equitatio, inhabitatio, sed de jure vtendi, v. g. equitandi, inhabitandi.* Additur vtendi tantùm, *quia non potest suo arbitratu omnes fructus assumere, vel alienare.* Dicitur saluâ eius substantiâ, *quia vsus in ijs tantùm rebus locum habet, quæ vsu non absumuntur, non item in pecunia, esculentis, poculentis.* Punctum 4tum. Potest vsus imperfectus & à Domini libera voluntate reuocabilis etiam in rebus vsu absumptibilibus, separatus ab eorum Dominio constitui. *Ita Sacra Familia Minorum S. Francisci, profitetur se rerum ad Victum necessariarum, quæ à fidelibus offeruntur, nec in communi nec in particulari dominium acquirere, sed solum vsum, imperfectum tamen ac dependentem à*

voluntate Dominorum, qui datas à se eleëmosynas in pecunia & similibus, sine omni iniuria quacunque tempore reuocare possint, donec ab ipsis assumptæ vel alienatæ sint.

5ta. De Dominio duorum in solidum.

Punct: 1mum. Duplex est Dominium duorũ in solidũ, alterum plenũ perfectum, quod & dicitur in solidum pro toto: quia extenditur ad omnem omninò vsum rei obiectiuæ possibilem, alterum secundum quid, minusq; perfectum, quod & dici solet in solidum pro parte. Tale est in massa hæreditatis adhuc confusa, & ante partitionem in plures hæredes indiuisa: in tritici aceruo, in cuius diuisionem venire possunt plures domini; item in exemplo poligamiæ olim permissæ. Punct. 2dum. Datur dominium duorum in solidum pro toto. *Constat ex clara inductione venditoris, donatoris, & similium contractuum. Dum enim instanti v. g. A. Petrus donat Paulo equum, vterq; simul eodem instanti est eiusdem equi in solidum Dominus. Nam instanti donationis A, pro priori naturæ plenum erat in Petro ius, ac perfecta libertas, citra cuiuscunq; iniuriam de equo disponendi non collectiuè quidem in omnem vsum, sed diuisim, in hunc vel illum. Item pro posteriori naturæ Paulus donatarius accepit & ipse plenum ius disponendi: quare vterq; est simul eodem instanti dominus: siquidem Petrus transfert & Paulus accepiat dominium. Deinde si pro priori naturæ ante donationem Paulus disponeret de equo, irrogaret Petro iniuriam strictam, & vicissim si Petrus pro posteriori donationis, inuito Paulo disponeret, irrogaret Paulo strictam iniuriam, ergo eodem instanti pro diuersis signis, est vterq; plenus in solidum dominus.* Punct. 3tium. Vnde immeritò negatur, in donatore non esse dominium ipso donationis instanti, sed tantùm instanti donationem immediatè antecedenti. Immeritò inquam: *Quia instanti, quo primùm non sum dominus, nequeo donare, sicut nequeo priusquam sum dominus, cùm in vtroq; casu caream legitimâ potestate disponendi: Vnde si Dominus Deus quempiam fecisset dominum gratiæ, & aliorum donorum præcisè vsq; ad instans B. inclusiuè, iam instanti C. non posset donare collata dona alteri defectu potestatis legitimæ. Similiter, si pro vno duntaxat instanti Deus constituisset Petrum Dominum, libri, posset adhuc Petrus transmittere Dominium in Paulum.* Punct. 4tum. Donator non destruit absolutè Dominium suum pro instanti donationis præsenti, sed illud donatario communicat, quâ *quidem communicatione ponit causam destruendi, ac auferendi à se dominij pro secuturis instantibus, adeoq; cessat quidem pro instanti donationis dominium in donatore, non tamen extrinsecè per primum sui non esse, sed intrinsecè per vltimum adhuc sui esse. Aliud est de secundo instanti.* Neq; valet dicere, quòd instanti donationis sufficiat sola præcisio à Dominio, & à dominij carentia. *Nam pro signo priori donationis requiritur in donatore potestas donandi, hæc autem potestas non est nuda à dominio præcisio.* Punct. 5tum. Duplex est cessio dominij, alia negatiua, alia positiua: negatiua est pura dominij ad acceptan-

dum oblati non acceptatio ; positiua, est desertio dominij antè habiti. In cessione positiua requiritur dominiũ, non in negatiua. Porrò dum positiuè cedit quis dominio vel illud transfert per rei venditionẽ aut donationẽ, licet pro toto instanti reali cedens vel transferens sit verè dominus rei translatæ, pro signo tamen posteriori naturæ præscinditur à dominio, vnde pro hoc signo naturæ non est dominus præcisiuè, non tamen negatiuè : vti loquuntur speculatiuæ scholæ in similibus argumentis. *Nam pro posteriori signo naturæ nec est, nec non est dominium, sed ab eo præscinditur : sicut enim pro priori naturæ præscinditur ab actu secundo, & vsu dominij, ita pro posteriori præscinditur ab actu primo & potestate dominij. Quia pro priori sola concipitur potentia, pro posteriori actus secundus & exercitium potentiæ ; sic tamen vt & potentia disponendi, & exercitium eodem instanti reali conueniant. Nam quidquid est pro omnibus signis, est pro toto instanti, non tamen quod prò eodem instanti, est pro omnibus & singulis signis instantis, aliàs eodem signo potentia & effectus componeretur.* Neq; tamen hinc certè arguas, donatorem fore etiam secundo reali instanti dominum, quo durat necessariò actus secundus donationis : *Quia dominium consistit in potentia liberè disponendi, quæ postquam instanti donationis in actum translationis exijt, non manet amplius dominium, cum potestas liberè disponendi transierit iam in aliud dominium* Punct. 6tum. Donatarius primò donationis instanti, verè euadit dominus, *siquidem eo instanti in donatore existit actio productiua dominij, quod producitur in donatorio, vnde similiter in donatorio ceu passo, est receptio ac acquisitio dominij. Quod si eodem instanti Petrus destruat v. g. gladium suum, (quæ destructio est quidam quasi vsus & exercitium dominij) non existit tunc quidem logicè dominium, hoc est per relationem prædicamentalem formaliter sitam in iure disponendi, coexistentem suo termino, v. g gladio, existit tamen moraliter. Moralis enim existentia iuris consistit in potestate destruendi, & non destruendi gladium, atqui in signo priori instantis realis A, existit ea potestas, cum præcisione ad existentiam & non existentiam gladij destruibilis, ergo in signo priori est moralis existentia iuris.* Neq; vero ex eo quia donatarius instanti donationis nequit rem destruere, cùm scilicet res donata nequeat eodem instanti existere & non existere ; sequitur, donatarium instanti donationis non habere potestatem vtendi re in omnem vsum possibilem, cui etiam adnumeratur destructio : non inquam id sequitur, quia illa impotentia est præcisè physica, idq; ex supposito, quòd rem existentem dono acceptam fecerit suam, non verò moralis impotentia iuris. *Nam ex parte potestatis moralis, ipso primo donationis instanti, nihilomnino deest donatario, quominus si res destrui posset post donationem, à donatario destrueretur licitè, citra vllam & donatoris & aliorum iniuriam. Præterea id duntaxat ex parte vsus quasi negatiui procedit in consideratione potestatis physicè destructiuæ, quod non obstat potestati legitimæ vtendi re in omnem vsum positiuum.*

Punctum 7mum

Punctum 7mum. Licet donatarius sit Dominus rei donatæ dependenter à donatore, donator tamen inuito donatorio, vi huius dependentiæ non potest prohibere vsum rei *siquidem donator non retinet jus reuocandi.*

Punctum 8uum. Donatio & acceptatio sunt duntaxat causæ formaliter constitutiuæ dominij, non verò in alio genere causandi v. g meritorio: Vnde etiam non possunt suo effectui præexistere tempore. *Nam Causis constituentibus simul sumptis effectus identificatur; quare implicat præexistentia, aliaue separatio. Sic quia gratia & carentia peccati effectum justificationis seipsis formaliter constituunt, ideò gratia & carentia peccati justificationi improborum secuturæ non potest præexistere. Aliud est de Genere causandi meritorio: Nam merita v g pro vita æterna longe tempore præexistunt, & merita Christi, gratijs in lege veteri collatis longe tempore post successerunt. Nam causæ meritoriæ ab effectibus suis valdè separabiles, causant solùm mouendo præmiatoris voluntatem ad conferendum præmium.*

Punctum 9num. Donatio quidem semper præcedit tempore acceptionem physicè inter homines; vbi priusquam donatarius donationem aduertat, fortè iam illa in donatore euanuit, *moraliter nihilominùs permanet in sui non retractatione, imò & virtualiter in signis quibusdam exterioribus. Aliud est in Angelis, animabus separatis, & beatis cælitibus, & in homine mortali erga Deum, dum enim voto concepto transfertur dominium ad cultum Dei, illicò Deus acceptando euadit cum homine specialiter Dominus.* Punctum 10mum. Ex dominio duorum in solidum non inducitur bellum à parte rei ex vtraq; parte justum, quasi vtriq; liceat, pro vsu rei contra aduersarium pugnare, v. g. Donatori liceat destruere ciuitatem etiam contra facultatem donatarij, & vicissim donatario liceat integram vendere, inuito donatore, quod esset bellum justum, bellum vtriusq; justũ non tantùm per accidens, ex opinionibus in vtramq; partem probabilibus, quod alibi accidit, sed per se & ex ipsa natura rei. Hoc inquam bellum non inducitur. *Nam donator habet quidem absolutè ius destruendi rem, in sensu diuiso donationis, quia sicuti liberè donat, ita si vellet, licitè eandem destrueret, id autem non esset contra, sed præcisè sine licentia donatarij, quam petere tunc necdum tenetur, cùm illo priori donatarius necdum sit dominus rei. Non verò habet ius in sensu composito transactæ iam donationis. Similiter donatarius potest vendere licitè, non tamen in sensu diuiso necdum factæ, sed in sensu composito iam factæ sibi donationis: Id autem non est contra, sed secundùm facultatem donatoris, qui iam transmisit dominium.*

6ta. De quibusdam imperfectis dominijs.

Punctum 1mum. *Habitatio est jus vtendi domo, saluâ substantiâ.* Distinguitur & ab vsu & ab vsufructu. Nam *quia locationem compatitur, à nudo vsu excludente*

locatio-

locationem, distinguitur per excessum. Quia *verò sola morte habitantis extinguitur, vsusfructus autem varijs modis; hinc etiam differt ab vsufructu.* Porrò vsusfructus extinguitur, 1mò *per mortem vsufructuarij.* 2dò *Si res ipsa super qua est vsusfructus pereat, v. g. incendio, vel vetustate collabatur.* 3tiò *Si tanto tempore non vtatur suo jure, quantò opus est, vt Dominus directus contra eum præscribat. Hoc autem tempus est* 10. *annorum inter præsentes, & 20 inter absentes* C. de vsufructu L. pen: 4tò *Si Pater fiat Hæreticus, hoc ipso amittit vsumfructum in bonis aduentitijs filij, isque statim coälescit cum dominio directo, quod habet filius Nam propter crimen hæresis paternum etiam occultum filius patriâ potestate emancipatur.* c. 2. de hæret. in 6. Alex 4. 5tò *Per maximam capitis deminutionem*, seu, *ciuitatis simul & Libertatis amissionem*: quæ in tribus casibus contingebat; Primus casus est *per condemnationem ad metalla vel perpetuos triremes, aut ad bestias, aut generatim ad mortem*, sic verò condemnati, dicebantur effecti serui pœnæ. Secundus est, *quando Libertus ingratitudinis in patronum condemnabatur, vnde etiam in seruitutem pristinam redigebatur.* Tertius est, *quando se patiebatur vendi, vt esset particeps pretij.* Instit. de cap. dem. §. 2 Extinguebatur præterea vsusfructus *per mediam capitis deminutionem*, seu *ciuitatis amissionem retentâ libertate: quando v. g. deportabatur in insulam, aut proscribebatur interdictus aquâ & igni.* Porrò hi dicebantur mortui ciuiliter, eo quòd non possent testari, vnde respectu suorum bonorum perinde se habebant ac si mortui essent. Quod attinet religiosam Professionem, per quam religiosus sæculo aut mundo dicitur esse mortuus, *non amittitur vsusfructus: quare non redit ad proprietarium, sed transit ad monasterium, supposita illius capacitate in succedendo.* colligitur Authen. Ingress. de C. Sacrosanct. Eccles. Punctum 2dum. Seruitus *est qua res dicitur seruire ratione oneris, vi cujus obnoxia est non proprio Domino, sed alteri.* Porrò hæc seruitus dicitur passiua, *quia est obligatio sustinendi seruitutem aliam, quæ vocatur actiua: id est jus agendi aliquid vel prohibendi circa rem alienam, quod correspondet obligationi illi seu passiuæ seruituti.* Diuiditur autem trifariam, *in merè personalem, vt ea quæ à persona debetur personæ, vt si vsum serui tui ad tempus vel ad vitam alteri concedas; In merè realem, vt ea quæ à re debetur immediatè alteri rei, immediatè inquam, quia hæc seruitus debetur etiam à re personæ; sed mediatè tantùm, nempe ex eo quod fiat talis rei dominus vel conductor v. g. ager Petri habet ius, vt ad illum possit iri, vel discedi per agrum Pauli; in hoc casu ager Pauli seruit agro Petri; quæ seruitus est realis, quia à re debetur immediatè rei; in mixtam. Quæ à re debetur immediatè personæ, & hæc extinguitur cum persona, cui debetur; & sic seruit habitatio, vsusfructus &c.* Porrò realis subdiuiditur in Rusticam, *quæ prædio rustico, & Vrbanam, quæ debetur Vrbano. Vrbanum vocatur in jure omni habitaculum vel domus etiamsi in villa sit, & hortus annexus causâ recreationis. Rusticum quoduis aliud, vt stabulum*

horreum

horreum ager. Seruitutes igitur vrbanæ sunt; v. g. vt ædes tuæ non possint altius attolli, ne officiant vicini luminibus: vt in tuum parientem possint immitti tigi a vicino &c, Rusticæ sunt, vt liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel equos, & alia pecora agere, vel aquam ducere &c. Vide institutiones de seruitutibus & lib. 8. digestorum tit. 1 2. 3. 4. Punctum 3tium. Emphyteusis *est concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis, retenta proprietate sub onere certæ pensionis soluendæ. Conceditur vel in perpetuum, vel minimum ad decennij spatium.* Feudum est *concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis, retentâ proprietate sub onere fidelitatis & obsequij personalis.* Libellus est *contractus, quo Emphiteuta vel Feudatarius rem, quam in Feudum, vel Emphiteusim accepit concedit alteri pro pensione sibi soluenda, aut personaliter exhibendo officio, estque proinde subemphyteusis ac subfeudum.* Superficies est *jus, quod quis habet, in superficiem soli, & in ea, quæ solo commisit, vt pote, in sata, plantas, segetes; cessat, cùm primùm desinit esse talis, v. g. dum pomerium aut vinetum commutatur in agrum.*

7ma. De jure in re, & jure ad rem.

Punctum 1mum. Ius ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed tantùm in personam. Tale jus est, quod alicui competit per donationem, emptionem, aliosue contractus ante traditionem rei. Si enim res illa alteri vendatur, & reipsa tradatur, manet illi, nec potes illam vindicare, quia non res erat tibi obligata, sed tantùm habes actionem personalem in eum, qui te fraudauit. Nam ad acquisitionem dominij, ordinariè duo, requiruntur, titulus & traditio; vti colligitur aperte L. Traditionibus 21. C. de pactis. *Traditionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur*, junctâ simul lege, nunquam, 3. ff. de acquir: rerum dominio. Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. Titulus verò est id, in quo totum ius primitus fundatur, vt emptio, donatio, successio hæreditaria &c. per quæ tamen nondum habetur ius in re seu dominium, sed tantùm ius ad rem: id est habes actionem damni in venditorem, si hic rem tibi vendiram alteri venderet & traderet.

Punctum 2dum. Ius in re dicitur, quod tribuit actionem realem, seu quod rem obligatam habet, ita vt possis eam vendicare, vbicunque demum sit, v. g. vendicandi equum furto tibi sublatum, quo ad existit siue apud furem, siue alium possessorem. Vnde in re nunquam datur, nisi circa existentia, ad rem verò, etiam circa res non existentes. Nam contra furem, qui furatus ouem, eam absumpsit datur actio personalis fundata in jure ad rem.

Punctum 3tium Ad acquirendum jus in re circa res necdum meas, præter titulum donationis, emptionis &c. requiritur etiam traditio, exceptis ca-

sibus à jure positis, v. g. beneficijs Ecclesiasticis, hæreditate, legato, pignore, & hypotheca, &c. Nam per collationem beneficij, secutâ acceptatione, item per testamentum vel successionem ab intestato, secutâ acceptatione, acquiritur jus in re. Quocunque autem res talis transeat, potest vindicari tanquam nobis obstricta; quia res omnis transit cum suo onere, quo est affecta.

THEO-

THEOLOGICÆ SS. PATRVM ET DOCTORVM ECCLESIÆ, ASSERTIONES.

De Verbi Divini Incarnatione.

Propugnatæ ab eodem qui supra. Anno Dñi, 1683. Mense. Die. Præside R. P. Adamo Krasnodębski Societatis JESV, Ordinario Professore Sac: Theologiæ Scholasticæ & Polemicæ.

§. I. *De Existentia Incarnationis.*

I. Incarnatio indemonstrabilis.

Mysterium Dominicæ Incarnationis, si ratione deprehendi posset, non esset mirabile, si exemplo, non esset singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis. Concil. Tolet. 2. Aug. Ep. 2. ad Volusian. *Solius Fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo Deitatis.* Agatho Papa Ep. da Antimin. & Leo Ep. 97.

II. Incarnatio necessaria homini.

Ad plenitudinem satisfactionis oportuit, vt tanta esset humiliatio in expiatione, quanta fuit præsumptio in præuaricatione. Quando ergò homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum (per offensam infinitam simpliciter) oportuit ergò vt expiationis remedium fieret humiliatio de summo ad imum; sed hoc omninò non potuit nisi ab aliqua in Trinitate persona. Richard. Victor. 1. de Incarn. c. 8. *Vnde quòd Filius Dei incarnatus est, seu pro homine immolatus, quantum ad ipsum, sola fuit voluntas, quantum ad hominem summa necessitas: nisi enim hic incarnaretur, ille nunquam saluaretur.* Honor. Augustod. tom. 9. Biblioth. PP. *Quippe qui cùm Verbum sit Patris per omnes, ex consequenti solus instaurare poterat vniuersa & pro omnibus pati, atq; idoneus erat, qui pro omnibus apud Patrem intercederet.* Athanas. tom. 1. pág. 42.

III. Incarnatio congrua Deo & homini.

Poterat in cuius potestate sunt omnia, omnipotenti suâ virtute hominem eripere ab eo, qui tyrannicè illum opprimebat: verùm inculationis & querelæ tyrannus occasionem inde cepisset, si cùm hominem vicisset ipse, vim à Deo passus esset. Damasc. lib. 3. cap. 18. *Et certè erat illi facillimum etiam citra carnis inuolucrum, hominum administrare salutem, & sola voluntate, mortis dominatum euertere, nec non matrem huius iniquitatem funditùs abolere: verùm non ille potentiam suam, sed prouidentiæ potiùs æquitatem voluit ostendere.* Theodoretus tom. 9. pag. 570.

IV. Incarnatio gratuita.

Nulla Dei necessitate (teste August. & Cyrillo &c.) *& nullis humanitatis Christi & puræ creaturæ operum meritis præcedentibus, in tantam celsitudinem subnecta est humana natura, vt totum simul Verbum & caro, hoc est Deus & homo, vnigenitus Dei Filius diceretur.* Aug. in Psal. 108. expos. 7. *Nam si Rex aliquis ædificium vel vrbem, cuius conditor fuisset ipse, incolarum negligentiâ ab latronibus oppugnatam neutiquam negligit, sed tanquam opus suum tuetur ac liberat non tam ad habitatorum ignauiam, quàm ad id quod se dignum est, respectum habens: multò magis optimi Patris Verbum Deus in corruptelam prolabens hominum à se procreatum genus non contempsit.* Athanas. de Incarnatione.

V. Incarnatio stetisset Adamo non peccante.

Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum à captiuitate eruens, sic istum à captiuitate defendens; & hac ratione fuit vtriq; redemptio, soluens illum conseruans istum. Bernard. Serm. 22. in Cant. & Fulgent. lib. 2. ad Thrasimundum. cap. 3. *Omnia per ipsum & in ipso Christo, tàm quæ in cælis, quàm quæ in terris, visibilia & inuisibilia, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Athanas. Sinaita lib. 2. Anago. *Ipse vt Verbum, dicitur vnigenitus, vt homo, primogenitus.* Concil. Sardic. & Ephes. *Et omninò rectiùs dicitur non hominem propter Angelos, sed propter quendam hominem Angelos quoque factos esse.* Rupertus lib. 13. de glor. Trinit. cap. 20.

§. II. *De Terminis Incarnationis.*

I Assumpta est humanitas.

Si quis Hæreticorum regulas perscrutetur, inueniet quoniam ab illis Verbum Dei inducitur sine carne, & in phantasmate ac putatiuè hominem venisse. Iræneus lib. 3. c. 11. & 22. Tertull. de præsc. cap. 46. *Catholicum verò dogma est, quod Deus*

Filius

Filius naturam nostram, id est animam rationalem carnemq; suscepit. Aug. in Psal. 74. *Nam neque ad propositum Christi faceret euacuantis peccatum carnis, non in ea carne euacuare illud, in qua erat natura peccati; neq; ad gloriam. Quid enim magnum si in carne meliore, & alterius non peccatricis naturæ mortem peccati redemit.* Tertul. lib. de carn. Chr. cap. 26.

II. Assumpta est vera non putatiua humanitas.

Si Christus nihil ex Maria sumpsisset, non ille per 40. dierum ieiunium expletum, quod Moyses & Elias susceperant, esurisset, corpore sic suum alimentum desiderante; neq; Ioannes ipsius discipulus de eo scribens dixisset. Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat; neq; Lazari causâ lacrymâsset; neq; sanguinis guttas per sudorem emisisset; neq; hæc dixisset: Tristis est anima mea, Irenæus lib. 2. cap 32. *Certè tristis in agonia factus est, vt ostenderet, verè se hominem esse passioni obnoxium.* Iustinus in dialog. *Nam quia sæpius Angeli humanâ in terris specie vsi sunt, nec non Deus ipse; quod autem apparebat, vera caro non erat, sed dispensatio quædam: ne eiusmodi putares illius aduentum esse, quales isti fuerant, sed reuera persuadereris, veram esse carnem; ideò & conceptus est, & partu editus, & nutritus, & in præsepi positus, non in domuncula quapiam, sed in diuersorio, coram infinita multitudine, vt illius natiuitas publicaretur.* Chrysost. hom. 35.

III. Natura humana est tota assumpta.

Suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: Leo Serm. 1. de Nat. domi. *Et quidem decebat Dominum humanâ carne vestitum, hanc totam cum passionibus proprijs induere, vt quemadmodum proprium illius corpus esse dicimus, sic & corporis passiones eiusdem esse dicantur, quamuis nequaquam ipsum secundùm Diuinitatem attingerent.* Athanas. orat. 4.

IV. Natura humana assumpta in instanti conceptionis.

Non autem priùs in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum Diuinitas venit in carnem; sed mox vt Verbum venit in vterum. mox verbum seruata propriæ virtute naturæ, factum est Caro; & perfectus Homo idem in Virtute carnis & animæ rationalis, natus est per vterum Virginis Filius Dei. Greg. Ep. ad Quir. Episc. *Vna quippe facta in vtero Mariæ Virginis conceptio Diuinitatis & Carnis.* Fulgent. lib. de fide ad Petrum.

V. In Christo est etiam Diuina Natura.

In Christo alia est incarnata Dei Verbi Natura, alia naturæ carnis, quæ assumpta Dei Verbi natura, incarnata est, inhumanata est. Theodoret. dial. pag. 70.

Vnde

Vnde in illis verbis, VERBVM CARO FACTVM EST, *nihil aliud debet intelligi, quàm*
si diceretur, & Deus homo factus est. Vt sicut vnusquisq; nostrum vnus homo ex car-
ne constat & anima; ita vnus ab Incarnationis tempore Christus, ex diuinitate, car-
ne & anima constet. Beda in Ioan. *Certum namq; Dominum Iesum Christum se-*
cundùm Catholicam fidem, & præconia scripturarum duas habere natiuitates; vnam
de Patre sine tempore, alteram de Matre sine virili coniunctione, & harum duarum
natiuitatum proprias habere naturas, Dei scilicet, quâ de Patre natus, & hominis, quâ
est de Matre progenitus Albinus Flaccus contra Felicem Vrgelinum.

VI. In Christo duæ sunt naturæ inconfusæ.

Verbum Caro factum est, non sic accipi debet, tanquam Verbum in carnem con-
uersum fuerit, ac ipsum Caro fuerit, vel in carnem mutata sit diuinitas; verùm cum
diuinitate propriam sibi humanitatem Deus Verbum assumpsit. Epiphan. hæresi 77.
Leo serm. 7. de Natiuit. *Sicut nec anima hominis caro fit, cui vnitur, nec in eius*
naturam conuertitur, sed tantùm in vnam personam sociatur. Anonymus. *Vnde in-*
carnari est vniri; Verbum autem carnem fieri, idem est, atque ipsam Verbi hypo-
stasim, sine vlla mutatione esse carnis hypostasim. Damasc. *Nam in carnem conuerti*
inconuertibilis Deus omninò non potest. Maxentius tom. 4. Bibl: PP. *Et sicut Deus*
non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Leo ep. 10. c. 4. *Atq;*
eo quod natura inuiolabilis Dei Verbi, naturæ est vnita passibili, beatissimo simul atque
doctissimo Athanasio dicente, Verbum caro, non caro Verbum factum est. Verbum au-
tem caro factum dicitur, quia Verbi est facta caro, & non alicuius hominis, hoc est,
Deus homo factus est, & dicitur caro. Maxent. ibid.

VII. In Christo est vna persona.

Nestorius contrario Apollinari morbo, dum se duas in Christo substantias distin-
guere simulat, duas introducit repente personas: & inaudito scelere duos vult esse Fi-
lios Dei, duos Christos: vnum Deum, alterum hominem; vnum qui ex Patre, alte-
rum, qui sit generatus ex Matre. Vincentius Lirinensis. *Absit verò hoc ab intelle-*
ctibus nostris, vt personam Dei & hominis Redemptoris nostri Iesu Christi, ex duabus
personis credamus vnitam. Ex duabus quippe & in duabus hunc naturis existere cre-
dimus, sed ex duabus personis compositum credi vt nefas vitamus. Greg. hom. 38.
in Euang. *Nam Fides sicut in Christo duas naturas veraciter prædicat; sic duas*
omninò personas in eo denegat. Fulgent. ad Donat c. 77.

VIII. In Christo est persona non creata sed diuina.

Vnus ex Trinitate est, qui secundùm carnem ex Virgine Maria natus est. Vnde si
quis non acquiescit confiteri Christum vnum de Trinitate, etiam cum carne propria

quamuis

quamuis ſecundùm carnem non ſit de ſubſtantia Trinitatis, anathema ſit. Ioan. Maxentius tom. 4. Bibl. PP. *Omninò Deus noſtris rebus verè & ex toto communicauit in vna ſuarum hypoſtaſeon, reuocans ad ſeſe attollenſq́; humanam extremitatem, ex qua (ſcilicet communicatione) inexplicabili modo ſimplex Ieſus compoſitus.* Dionys. de diu. nom. c. 1. *Vnde perſonalis hypoſtaſis Chriſti, ambarum ipſius naturarum eſt hypoſtaſis. Nam cùm ſimplex eſſet, facta eſt compoſita. Ac diuina quidem natura propriâ ſubſtantia conſtat; humana verò neque non ſubſiſtens eſt, neq́; propria ope ſubſiſtens, ſed in alio ſubſiſtens, quoniam in diuina ſubſiſtit.* Euthym. paropl. par. 2. tit. 15. *Propterea taceant, qui aliquando dixerunt eum, qui ex Maria proceſſit, non ipſum eſſe Chriſtum & Dominum & Deum. Niſi enim Deus eſſet, quinam ſtatim ac ex Maria prodijt, vocatus eſt Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.* Athanaſius pag. 459.

IX. In Chriſto eſt Verbi Diuini perſona.

Cùm reuera Chriſtus Dei eſſet Filius, factus eſt etiam hominis filius: & cùm vnigenitus eſſet Dei Filius, idem & primogenitus factus eſt in multis fratribus. Ideò non alter quidem erat, qui ante Abrahamum fuit Dei filius, alter verò, qui poſt Abrahamum extitit, nec alter ille qui Lazarum excitauit, alter qui de illo ſciſcitatus eſt; ſed idem planè erat humano more dicens, vbi Lazarus jacet, & diuino more hunc à morte ſuſcitans. Athanas pag. 450. *Ideò falluntur, qui dicunt, alium eſſe filium, qui paſſus eſt, & alium, qui non eſt paſſus. Non enim alter eſt, quàm Filius Dei, qui mortem & paſſionem ſuſcepit, ſed idem impatibile & incorporeum Verbum, quod generationem carnis ſuſtinuit.* Idem pag. 426. *Eadem certè hypoſtaſis Verbi ambarum facta naturarum hypoſtaſis, nec earum aliquam non ſubſiſtentem eſſe patitur; neq́; porrò diuersâ ab altera ſinit hypoſtaſi eſſe. Non hæc aliàs huius eſt, aliàs illius; ſed ambarum ſemper, abſq́; diuiſione ac ſeparatione vllâ eſt hypoſtaſis: non partita nec diuiſa; tanquam partem ſui, naturæ iſti, partem alteri tribuat; verùm indiuiduè integrèq́; tum huius eſt tota, tùm illius.* Damaſc. lib. 3. c. 9.

X. Verbum Diuinum verè vnitur humanitati.

Siquis in vno Chriſto diuidit ſubſtantias poſt vnitionem, ſola eas ſocietate conjungens ea, quæ ſecundùm dignitatem eſt, vel etiam authoritatem aut poteſtatem, & non magis conuentu ad vnitatem naturalem; anathema ſit. Cyrill. Anathem. 3. *Similiter ſi quis non confitetur ſubſtantialem ſiue naturalem vnitatem ſecundùm id, quod manens naturâ Deus Verbum, naturæ eſt vnitus humanæ, ſed ſubſtantialem ſiue perſonalem dicit vnitatem, aut ſecundùm illuſtrationem, ſiue ſecundùm dilectionem, aut ſecundùm affectionem, , anathema ſit* Maxent. tom. 4. Biblioth PP. in Anathematiſmo 3. *Adeòq; Chriſtus non Deifer homo, ſed Deus potius ex rei veritate dicitur.* Cyrill. Anathem, 5.

XI. Verbum Incarnatione non mutatur.

Filius Dei homine assumpto, ipse non assumptus; homine mutato in melius, nullo modo ipse in deterius commutatus. Aug. in Psal. 74. *Aut aliter dicas; Verbum incarnatione mutatum non est, quia factum est homo suscipiendo quod non erat, non autem mutando quod erat.* Theodoret. dialog. immutabilis. *Sicut enim ferrum nigredinem habet & frigus, ignescens tamen speciem ignis induit, & candescens ignem non infuscat, & vt ipsum flammescit, ita flammam ignis suo frigore non restingit: Pari ratione humana Domini caro diuinitatis particeps facta, diuinitati suas infirmitates non impertit,* Basil. serm. de Christi nat. *Ac sicut Verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem; ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit, vt mutaretur in Carnem.* Aug. lib. 1. de Trinit. c. 4. Et lib. 65. lib. 11.

XII. Verbum in proprio est vnitum.

Solus Filius formam serui accepit, in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id, quod proprium est Filij, non quod commune Trinitati: quæ forma illi ad vnitatem personæ coaptata est, id est vt Filius Dei, & Filius hominis sit vnus Christus. Concil. Tolet. VI. & XI. vtrobiq; c. 1. in confess. fidei.

XIII. Incarnationi tota Trinitas coöperata.

Si Filius incarnatus est, & Filius non est vna & eadem persona quæ Pater est, sed alia; non idcircò esse Patrem incarnatum necesse est. Anselm. lib. de incarn. c. 4. *Attamen incarnationem huius Filij Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis.* Concil. Tolet. 6. c. 1. *Quare non Deus Pater, non Spiritus Sanctus, non tota Trinitas, sed solus Deus Filius, quod est* VERBVM *Dei,* CARO *factum est, quamuis Trinitate faciente.* Aug. lib. 1. de Trinit. c. 4. *Sicut in ipsa acceptione ciborum, quâ sola caro pascitur, anima cum carne pariter operatur; communis est vtriq; operatio, sed non communis acceptio.* Fulgentius resp. 2.

§. *III. De consequentibus incarnationem.*

I. Christus est verus Deus.

Qui ex Deo Patre genitus est ex vtero ante Luciferum, velut ex corde Verbum ex Patre editum: ac simplex illud & expers partium Verbum, caro factum est secundum scripturas. Dionys. Alexandr. to. 11. Biblioth. PP. *Vnde & Ioannes vnum & eundem nouit Verbum Dei, & hunc esse vnigenitum, & hunc incarnatum esse pro salute nostra.* Irenæus lib. 3. c. 18. *Nempe ex quo homo esse cepit, non aliud cepit esse homo, quàm Dei Filius.* August. in Enchirid. c. 35. & Nazienz.

orat. 51. *Adeòq; si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & vnum de Sancta Trinitate, talis anathema sit.* V. Synodus collat. 8. anathemat. 8.

II. Christus est verus homo.

Hominem Christum facilè est intelligere, cùm esurit, lassatur, fatigatus sitit, & metuens fugit, orat, tristatur. Hippolitus Portuensis in expos. Ps. 2. apud Theodoret. dialog. 2.

III. Christus Deus-Homo.

Ipse totus erat Deus cum humanitate, & totus ipse homo cum diuinitate. Maximus Martyr. *Totus igitur Christus est perfectus Deus sed non totum est Deus: non enim tantùm Deus est, verùm est etiam homo. Et totus Homo perfectus, non totum homo est, sed & Deus. Quod enim dicit totum, significat naturam; quòd verò dicitur totus, hypostasim. Sicut nomen Aliud naturam, Alius verò hypostasim exprimit.* Ioan. Damasc. lib. 3. c. 7.

IV. Christus non adoptiuus, sed naturalis Filius Dei.

In hoc maximè fides nostra consistit, vt credamus vnicum Filium Dei non adoptiuum sed proprium, non phantasticum sed verum, non temporarium sed æternum, pro nobis omnia secundùm carnem fuisse perpessum. Leporius subscribente Augustino & alijs. *Et certè quando dixit Christus, Pater venit hora, clarifica Filium tuum, non solùm nomine contestatus est esse se Filium, sed & proprietate, qua dicitur tuum. Multi enim nos Filij Dei, sed non talis hic Filius est. Hic enim & verus & proprius est Filius, origine non adoptione, veritate non nuncupatione, natiuitate non creatione.* Hilarius lib. 3. p. 13.

V. Christus est Filius hominis.

Filium hominis Christus seipsum vocauit, siue, quòd per Virginem genitus est, quæ de genere erat Dauidis, Iacobi, Isaaci, & Abrahami, siue quod Abrahamus ipse pater omnium illorum, quos recensuimus fuit, à quibus Maria genus deducit. Iustinus Apologet 2. *Et certè quâ ratione fieret ex semine Dauid? de semine enim Dauid Maria, & de carne Mariæ Christus, quamuis sine semine maritali, tamen cum proprietate naturæ.* Ferrandus Diaconus tom. 3. Bibliot.

VI Christus non partim Dei, partim hominis filius, sed Dei & hominis filius.

Hypostasis diuina non est aliquando naturæ illius, aliquando istius; sed vtriusq; indiuisiuè & inseparabiliter, tota huius, & tota illius. Damasc. lib. 3. c. 9. *Est*

ergo vnus atq; idem Christus verus Filius Dei , & idem ipse verus Filius hominis , perfectus in Deitate , & idem ipse perfectus in humanitate , vtpotè totus in suis , & idem ipse totus in nostris. Pelagius Primus in protest. fidei ad Childebert. *Idem est in forma Dei , qui formam suscepit serui , idem est incorporeus manens , & corpus assumens ; idem in sua virtute inuiolabilis , & in nostra infirmitate passibilis , idem à paterno non diuisus throno , & ab impijs crucifixus in ligno ; idem est super cælorum altitudines , victor mortis ascendens , & vsq; ad consummationem sæculi vniuersam Ecclesiam non relinquens ; idem postremò est, qui in eadem quâ ascendit carne venturus , sicut judicium sustinuit impiorum, ita iudicaturus est de omnium actione mortalium.* Leo Serm. 10. de Nat. doni.

VII. Christus est Filius Deiparæ.

B. Virgo Maria est singulari quodã Domini ac Dei nostri, filij sui autem munere, verissimè ac beatissimè Theotocos (scilicet Deipara) confitenda . Sed non eo modo Theotocos , quo impia quædem Hæresis suspicatur, quæ asserit eam Dei Matrem sola appellatione dicendam , quæ eum scilicet peperit hominem , qui postea factus est Deus , sicut dicimus Presbyteri Matrem , aut Episcopi Matrem , non iam Presbyterum aut Episcopum pariendo ; sed eum generando hominem , qui postea Presbyter vel Episcopus factus est. Vincentius Lirinen . *Verè enim Maria genuit corpus , quod habitantem Deum in se habet ; ac verè genitum est Verbum de Virgine indutum corpore ijsdem nobiscum affectionibus obnexio. Verè in vtero conceptus est , qui vniuersos homines formauit in vtero ; fixitq; sibi corpus ex Virginis sanguine citra illam cum viro consuetudinem.* Ignatius Martyr. *Genuit secundùm carnem Verbum illud , quod ex Deo Patre natum , caro factum est.* Cyril anat. 1. *Adeoq; si quis abusiuè & non verè dicit Genitricem Sanctam , gloriosam semper Virginem Mariam, vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotocon id est Christi genitricem, non verò Theotocon id est Dei genitricem , tanquam si Christus Deus non esset , anathema sit.* V. Synodus.

VIII. Christus ob vnitatem personæ est vnus, non verò alius & alius.

In Deo vna substantia , sed tres personæ : in Christo duæ substantiæ , vna persona. In Trinitate alius atq; alius , non aliud atq; aliud : in Saluatore aliud atque aliud , non alius atq; alius. Quomodo in Trinitate alius atq; alius , non aliud atq; aliud? quia scilicet alia est Persona Patris , alia Filij , alia Spiritûs Sancti ; sed tamen Patris & Filij & Spiritûs Sancti , non alia & alia , sed vna eademq; natura. Quomodo in Saluatore aliud atq; aliud , non alius atq; alius ? quia videlicet altera Substantia Diuinitatis , altera humanitatis : sed tamen Deitas & humanitas non alter & alter, sed vnus idemq; Christus, vnus idemq; Filius Dei, & vnius eiusdemq;

Christi

Christi & Filij Dei vna eademq́; persona. Sicut in homine aliud caro, & aliud anima, sed vnus idemq́; homo caro & anima. In Petro & Paulo aliud anima, aliud caro, nec tamen duo Petri, caro & anima; aut alter Paulus caro, alter anima; sed vnus idemq́; Petrus, idemq; Paulus, ex duplici diuersaq́; subsistens animi corporisq́; naturâ. Ita igitur in vno eodemq́; Christo duæ substantiæ sunt, sed vna diuina, altera humana. Est ergo in Christo Verbum, anima, caro, sed hoc totum vnus est Christus, vnus Filius Dei, & vnus Saluator ac Redemptor noster. Vnus autem non corruptibili nescio qua diuinitatis & humanitatis confusione, sed integra & singulari quadam vnitate personæ. Vincent. Lirinen. *Adeoq́; si quis duos induxerit filios, alterum ex* Deo Patre, *alterum ex Matre, non autem vnum & eundem, is ab ea filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus est premissa.* Nazianz. orat. 51. *Naturæ duæ sunt,* Deus *& homo, quandoquidem anima etiam & corpus totidem sunt naturæ: at non filij duo, neq́; dij sunt duo, quandoquidem nec hic homines sunt duo.* Idem ibidem.

IX. Christus ob indiuisionem naturarum est vnum.

Cùm audis Verbum caro factum est, vocabulum factum est, indiuiduam vim vnitionis summa significat. Vt enim vnitas in duas vnitates secari non potest [nam quæ in hæc diuiditur, vnitas non est, sed binarius] sic quod est vnum summa vnitate, in duo diuidi nequit. Proclus Epist. 2. ad Armenos. *Adeoq́; per vnitionem duarum in Christo naturarum, diuisionem dicere non oportet, sed differentiam Etenim differentia est ratio, secundùm quam à se mutuò res subiectæ differunt. Diuisio verò est quædam sectio à se inuicem penitùs illas separans.* Euthym panopl par. 2. tit. 15.

X. In Christo ob differentiam naturarum sunt duo.

Quemadmodum vnum ex eorum genere est, quæ multipliciter dicuntur, siquidem & numero vnum dicitur, vt exempli causâ, Petrus, & vnum specie, vt homo, & genere, vt animal; ita etiam duo. Nam dicimus numero duo, vt sunt Petrus & Paulus; & duo specie vt homo & equus; & genere vt substantia & color. Cùm igitur duo in Christo dicimus, non eum asserimus esse numero duo; sed vnum quidem numero propter vnitatem hypostasis, duo verò specie hoc est naturâ. Euthymius panop. tit. 7.

XI. In Christo est duplex intellectus & scientia.

Si quis in Christo negat duas scientias, increatam scilicet & creatam, anathema sit. ex Synod. 6. *Christi Sapientia fuit vestis inconsutilis desuper contexta per totum, hoc est, tota simul parata (seu infusa.)* S. Maximus. *Nec fuit in Christo infante impedimentum vsûs rationis, quod in alijs paruulis cernitur.* Aug. lib 7. de merito & remiss. c. 29. *Christum enim cùm Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum,*

neum, neq; enim quis Magister ac Doctor est eius, qui est solus Magister. Clem. Alexan. lib. pædagog. c. 6. *Nihilominus præexistente diuinâ cognitione, etiam per ipsam experientiam voluit discere.* Cyril. lib. 6. de fide c. 3. *Nam didicit ex his, quæ passus obedientiam, id est expertus est* Glossa. *Anima Domini rerum futurarum (omnium & præsentium) cognitione (beatâ ac infusâ) quemadmodum & reliquis miraculis, locupletata est.* Damasc. lib. 3. de fide. *Non tamen anima Christi tam clarè ac intensè videt Deum, sicut Verbum ipsum.* ex Concilio Basiliensi sess. 22.

XII. In Christo est duplex voluntas.

Vtiq; sicut erat Deus & homo, sic & duas voluntates, alteram Diuinitatis, alteram humanitatis habebat, sub ipso passionis articulo. Humanitas quippe gustum mortis naturaliter pauebat & refugiebat, & naturali corporis amore anima tenebatur, & in carne manere volebat. Porrò Diuinitas rationabili iudicio aliud intendebat, scilicet quod ad salutem humani generis necessarium erat, & eius naturæ voluntatem suæ voluntati humanitas præferebat. Rupert. l. 12. de Vict. Verbi Dei c. 12.

XIII. In Christo duplices proprietates naturarum.

Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas prædicamus, & vnamquamq; proprietates naturales habere confitemur, diuinam omnia quæ diuina, humanam omnia, quæ humana sunt, absq; vllo peccato. Agatho Papa in Synod. VI. act. 4. *Sicut enim in ignito gladio saluantur naturæ ferri & ignis; sic & hic actiones & perfectiones eorum: ferrum habet virtutem incidendi, ignis vrendi. Incisio perfectio operis ferri, ignis combustio. Sic in Christo Diuinitas & diuina opera, humanitas & eius opera.* Damasc. lib. Orthod. fidei c. 15.

XIV. In Christo communicantur idiomata.

Propter exactam vnitionem assumptæ Carnis, & assumentis diuinitatis mutuò transferuntur vocabula, vt humanum ex diuino, & diuinum ex humano denominetur. Gregor. Nyssen. ep. ad Theophil. contra Apollinar. *Vnde & impassibilis pati, & immortalis mori; & æternus ante sæcula, fit temporalis in fine sæculorum.* Gregor. magn. moral. l. 18. c. 27. *Quidquid passus est homo, non potest dici, nō passus est Deus. Sicut quando tu quereris vel amicis vel in iudicio, tunc dicis Iudici, conscidit me Non dicis, conscidit birrhum meum, sed conscidit me. Si potuit & meruit vestis tua dici tu, quæ non est tu sed vestis tua: quantò potius meruit audire caro Christi, vt quidquid in carne pateretur, Deus ipse pateretur, quamuis Verbum nec mori potuerit, nec corrumpi, nec mutari, nec occidi, sed quidquid horum passum est, in carne passum est.* Aug. in Psal. 130. *Quemadmodum si quis ignito ferro superfundat aquam, ignis extinguetur, incolume verò manet ferrum, non natum*

enim

enim est ab aqua corrumpi: multo magis carne passa sola impassibilis diuinitas passionẽ nõ adimit, inseparabilis ad ipsa permanens. Damasc. l. 3. c. 20. 6. Orthod. fidei.

XV. Caro in Christo est propria Verbi.

Quoniam pati voluit, qui pati nihil poterat, cùm naturâ Deus esset; carnem induit patiendi capacem, eamq; propriam fecit, vt sibi adscriberetur passio, eò quod non alterius cuiuspiam, sed ipsius corpus pateretur. Cyrill. dialog. de vno Christo tom. 5. *Et certè quoniam carnem assumpsit, quæ glorificatione opus habebat; nec alterius cuiuspiam sed ipsius erat caro; meritò sibi ea propria facit, quæ in ipsam, & circa ipsam fiunt; ac tanquam homo non habens accipit à Patre, quæ naturaliter habebat.* Theophanes hom. 28.

XVI. Christo conueniunt plurima prædicata opposita.

Carnis expers, propter te incarnatur; Verbum caro factum est, qui sub tactum non cadit; qui naturâ incorporeus est, tangitur; qui sine initio est, sub initium corporeum redigitur; perfectus augescit, immutabilis proficit. Atticus Constantinopolitanus. *Idem patiebatur & non patiebatur; moriebatur & non moriebatur, sepeliebatur & non sepeliebatur; resurgebat & non resurgebat.* Ambrosius de incarnatione cap. 5. *Ipse qui fecit, ipse qui factus est: ipse ante sæcula de Patre sine matre, ipse in fine sæculorum de matre sine Patre; ipse conditoris templum, ipse conditor templi; ipse auctor operis, ipse opus authoris.* Gregor. lib. 18. moral. c. 77. *Christus ipse vnus atq; idem & creatus & non creatus; habens initium, & initio carens.* Vigilius lib. 5. contra Eutychen. *Ac per hoc & minor est factus, & mansit æqualis; vtrumq; vnus.* Aug. in Enchirid. c. 35. *Hinc incomprehensibilis in cruce, inuiolabilis in vulnere, impassibilis in passione, immortalis prædicatur in morte.* Fulgent. lib. de incarn. *Ipse viuit moriens, ipse moritur viuens, ipse impassibilis patiens; ipse passioni non subiacens* Toletana Synodus XIV. tom. 5. Concil.

XVII. In Christo proprietates naturarum, tantùm supra propriam naturam reduplicant.

Passum & resuscitatum ipsum dicimus, non vt Deus Verbum quippiam in naturâ suapte sit passus, siue plagas, siue clauorum perforationes, siue alia quædam vulnera, Deus enim pati nihil potest, quia corporis est expers: Verùm quoniam corpus illud, quod proprium illius factum est, talia passum est, ideo Verbum ipsum pro nobis passum dicitur. Cyrill. ep. ad Nestorium. *Quod enim caro Verbi patiebatur, vel manens in carne Dei Verbum patiebatur in carne, sicut scriptum est, Christo in carne passo, in se vtiq; pro corporis assumptione referebat; vt quæ nostra sunt ipse susciperet, & suis circumuestiret humana.* Ambr. lib. de incarn. c. 5.

XVIII Christus secundùm diuinitatem, non secundùm humanitatem immensus.

Filius Dei vnus idemq; secundùm carnem de Matre temporaliter natus, qui secundùm diuinitatem de Patre permanet sempiternus; vnus idemq; homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre; vnus idemq; secundùm humanam substantiā absens cælo cùm esset in terra, & derelinquens terram, cùm ascendisset in cælum; secundùm diuinam verò immensamq; substantiam, nec cælum dimittens, cùm de cælo descendit, nec terram deserens cùm ad cælum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis, ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. Fulgent. c. 17. in respons. ad inquisit. Ferrandi.

XIX. Christus impeccabilis.

Sine peccato esse debuit, qui pro peccatoribus interuenire potuisset, quia nempe alienæ pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Gregor. Papa 24. Moral. c. 2. *Nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret.* Aug. tom. 4. in ep. Ioan. *Vnde tam impossibile est peccare Christum, quam Patrem & Spiritum Sanctum.* Dionysius Alexandr. *Non tantùm verò in eius diuinitate; sed nec in anima, nec in carne, (in sensu composito aut diuiso vnionis) vllum potuit esse peccatum.* Aug. l. de merit. & remiss. c. 15. *Nihil enim carnis suæ habebat aduersum, nec discordia desideriorum gignebat pugnantiam voluntatum: sensus corporis vigebat sine lege peccati, & sub moderatione mentis ac rationis, nec tenebatur illecebris, nec cedebat iniurijs.* Leo epist. 11.

XX. Christus est infinitè Sanctus.

Singulariter fuit Sanctum, quidquid Virgo concepit, & per Spiritûs sanctificationem (seu gratiam) accidentalem & per Verbi assumptionem. Bern. hom. 4. super Missus. *Sicut enim ignis carbonem aut ferrum seipso lucidum reddit & calidum, sic Deitas (etiam vt virtualiter distincta à Personalitate) humanitatem accedens sanctificat.* Nazianz. *imò & ipsè (secundùm Personalitatem præcisè) seipsum vnxit.* Damasc.

§. *IV. De Christi operatione.*

I. Christi operatio est duplex.

Quorum est eadem natura, horum eadem voluntas & operatio; quorum autem differens est natura, horum differens est voluntas & operatio. Euthym. *Idcircò*

nos quemadmodum esse duas naturas accepimus, ita & duas naturales voluntates, & duas naturales ipsius operationes agnoscimus. Neutram enim naturarum Christi in incarnatione ipsius, audemus voluntatis expertem aut operationis asserere, nè illarum proprietates perimentes, vnà cum his naturas quoq; perimamus, quarum sunt proprietates. In Synod. Sexta tom. 3. Conc. pag. 273. *Agit enim vtraq; forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est, vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit.* Leo ep. 10. cap. 4.

II. Naturæ in Christo nō diuisim sed coniunctim operātur.

Agit vtraq; natura cum alterius communione, quod proprium est. Leo ep. 10. cap. 4. *Nam diuina miracula operabatur diuinitas, sed non absq; carne, & caro humilia quæq; peragebat, sed non citra diuinitatem.* Damasc. lib. 3. de incarnat. cap. 14. *Ac diuinitas quidem eatenùs cum humana natura communicat, quòd hæc illâ permittente patiatur, & quæ propria sunt exequatur, at quòd operatio carnis prorsùs sit salutaris, id non est humanæ efficientiæ, sed diuinæ: porrò caro cum diuinitate Verbi operante communicat, quod & per corpus velut per instrumentum, diuinæ perficiantur operationes, & vnus sit operans diuino simul & humano modo.* Idem cap. 19. *Quippe natura carnis, ex quo summæ illi naturæ vnita est, in tanta vnitate & ab ipso conceptu Virginis est concepta, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana. Et per hanc vnitatem etiam in dotibus carnis suæ homo Christus potuit diuina.* Anselm. lib. de Sacr. Alt. cap. 3.

III. Duplicium in Christo operationū est vnus operans.

Duæ naturæ, sunt Christus, & vnus Christus duæ naturæ. Quare idem est dicere; operatur Christus in duabus naturis secundùm alteram naturam, & altera natura operatur in Christo. Euthym. in paropl. tit. 15. *Nā Christus quatenùs Deus erat idem, diuina, quatenùs idem erat homo humana moliebatur; seipsum omnibus ostendere volens eundem esse Deum & hominem. Propterea vnus & idem diuina facit & humana, similiterq; dicit & loquitur* Sophronius in Synod. Sexta act. 11.

IV. Vniusq; naturæ vna est Theandrica operatio.

Siquidem Christus aliàs tanquam Deus operatus est, quando puerum Centurionis sanauit absens; aliàs tanquam homo solùm, quamuis esset & Deus, quando comedebat & tristabatur; mista verò communiter operatus est miracula, cùm & cæcis oculos inunctione factos reddidit, & sanguine profluenti fæminæ solo tactu profluuium compescuit: seu siquidem operationum nonnullæ sunt, quas per solam diuinam naturam Christus operatur, vt est mundi creatio & conseruatio, aliæ sunt soli humanæ naturæ peculiares, velut edere, bibere, flere, pati; aliæ deniq; sunt mistæ, in

quibus agit vtraq; natura, vt cùm solo attactu curabat ægrotos, vel mare pedibus ambulando calcabat; vt ait Sophron. in Synod. Sexta act. 11. *Idcircò operationem hanc, quæ diuinum simul & humanum aliquid complexa est, Deiloquus Dionysius theandricam seu Deiuirilem* (& alij addunt energicā) *nominauit.* Maximus & Sophronius ibid. *Agit enim vtraq; forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, alterum succumbit iniurijs.* Leo ep. 10. cap. 4. *Quemadmodum intelligi potest de fabro, artifice aliquo, vel ferrario; illius animam per proprium corpus opera moliri, ac nemo dixerit, eadem opera esse solius animæ, quamuis hæc ad illa fabricanda corpus moueat, sed vtriusq; potius esse. Ita & de Christo cogita. Nam ante incarnationem cùm nudum adhuc esset Verbum, per sese diuina faciebat, postquam verò factum est homo, carnem quoq; suam operatum est.* Cyrill. lib. contra Antiop. c. 22. *Quid dicemus de ignito gladio: qui non minus quàm naturas, ignis videlicet & ferri, earum quoq; naturales conseruat operationes, adustionē & sectionē, easq; per omnia, & simul ostendit? Nā nec adustio ab sectione est soluta post vnitionē, nec ab adustione sectio; neq; vel propter duplicē naturalē operationem, duos gladios inducunt; neq; propter singularem ignitum gladium substantiuæ differentiæ mistionē & confusionem inuehunt.* Maximus in disp. cū Pyrrho.

V. Christi operatio libera sine rigore præcepti.

Ne corpore quidem egebat diuinum Verbum, quippe quod nullius est indigens, sic vel solo poterat imperio salutis nostræ negotium exequi. Cyrill. l. de incarnatione. *Verùm quod Dei Sapientia potuit facere sapienter & fortiter, voluit facere suauiter vniens sibi infirmitatem carnis nostræ.* Aug. de Annunciat. Domi. *Sed dicet aliquis: Non voluit opus suum reparare creator absq; isti difficultate? Voluit, sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum atq; odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem vltra reperiret in homine.* Bernard. serm. 11. in cant. *Licebat ergo ipsi cum gloria & gaudio in mundo degere; licebat ipsi non pati probra: sed quod nobis expediebat considerans, quod ad se pertinebat neglexit* Theophyl. & Oecum in ep. 12. ad Hæbr. *Nam si præcepto fuisset opus, quid attineret ipsum dicere à me ipso pono; quippe qui à seipso ponit, nihil habet opus præcepto: vnde præceptum à Patre se accepisse dicens, nil aliud ostendit quàm idem videri Patri, quod ipse facit.* Chrysost. h. 5. 9. & 60

VI. Christi operatio ex placito Patris.

Cùm dixisset transeat Calix, subiecit, verùm tamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ac propriam quidem se habere voluntatem manifestè demonstrat, sed vbiq, paternam voluntatem anteponit suæ. Chrysost. in Max. *Sic etiam qui dixit, non mea voluntas, expressit humanam, cùm addidit, sed tua, coniunctionem suæ cum Patre diuinitatis ostendit, in qua nulla inest voluntatum differentia, propter naturæ communionem.* Nazian.

VII.

VII. Christi operatio infiniti valoris.

Sanguis Christi diues in pretium, profluus ad lauandum omne peccatum. Ambros. in Psal. 35. *imò infinitus est meritorum & satisfactionis thesaurus;* iuxta Clement. VI. in Extrau. *Vrit enim ignitum ferrum non naturali ratione vstiuam possidens actionem; sed ex vnione ignis ad ferrum illud obtinet: ita humanitas diuinitati sociata virtutem ex diuinitate percipit tanquam Dei proprium factum.* Damasc. l. 3. Orth. cap. 17. *Hinc fluxit gratia Angelis vt starent, hominibus vt surgerent, Matri ne in Adam moreretur, Patriarchis vt redemptorem desiderarent.* Rupertus lib. 13. de glor. Trinit. cap. 20.

VIII. Christi operatio satisfactiua pro peccatis omniũ.

Non satisfacies, si non reddis aliquid maius, quàm sit id, pro quo peccatum facere non debueras: imò nisi sit qui soluat Deo pro peccato hominis aliquid maius quàm omne quod Deus non est. Illum quoq; qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod superat omne quod sub Deo est, maiorem esse necesse est, quàm omne quod Deus non est. Anselm. lib. cur Deus homo. *Misericordia tua Domine plena est terra, quia omnibus data est remissio peccatorum. Super omnes Sol oriri iubetur; & hic quidem sol quotidie super omnes oritur: mysticus autem sol iustitiæ, omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est.* Ambr. in Psal. 118.

IX. Satisfactio Christi copiosa.

Cùm posset nobis etiam non moriendo concurrere, subuenire tamen moriendo hominibus voluit: quia nos videlicet minus amâsset, nisi & vulnera nostra susciperet, nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesq; nos reperit, & qui nos existere fecit ex nihilo, reuocare videlicet etiã sine sua morte potuit à passione. Sed vt quanta esset virtus cõpassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod esse nos voluit Greg. l. 20. moral. c. 26.

X. Christi satisfactio ex iustitia.

Desperata esset humani generis causa, quæ aliter componi non poterat, nisi exsolueretur pro pace eius tanti pretij quantitas, quod singulariter habebat apud se humilitas Christi, & assumpta humanitas. Arnoldus *Sic misericorditer homo liberatus, vt non defuerit iustitia quædam, in ipsa liberatione.* Bernard. ep. 190. *Præclara verò & diuina res Saluatoris operatio, promeretur Christum Iudicem, & Deum computabat debitorem.* Cypr. ser. de opera. *Sed dices Estò quòd debeat, quo exigente restituet? seipso, quia non potest ille mentiri; idem ipse est & executor & debitor.* Chrysolog. serm. 29

XI. Satisfactio Christi merita gratitudinem.

Neq; pretium quæsiuit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium soluit, quia

non

non auro & argento, sed pretioso nos redemit sanguine. Ergo id pretium debes, quo redemptus es; etsi ille non semper exigat, tu tamen debes, eme igitur tibi Christum, non eo, quod pauci habent, sed eo quod omnes habent. Omnes habent per naturam, pauci offerunt per timorem. Suum est quod à te Christus reposcit. Ipse vitam omnibus dedit, ipse pro omnibus mortem, suam obtulit. Solue pro auctore, quod soluturus es lege. Ambr. l. 2. de Pænit. c. 2.

§. V. De titulis, officio, & dignitate Christi.

I. Christus Rex.

Erat Christus Rex non talis, qualis ab hominibus fit, sed talis, vt homines faceret Reges. Aug tom. 14. in Ioan. *Vnde non dixit regnum meum non est hoc, seu in hoc mundo, sed non est hinc; nec de hoc mundo.* Aug. tom. 15. in Ioan. *Ac quoniam hoc temperale dominium, neq; ad perfectionem Christi pertinet, neq; ad aliquem vsum Christus illo indiguit;* (ex varijs;) *ideò dicens quis me constituit Iudicem inter vos; meritò terrestria declinat, qui propter cælestia venerat, & auaritiæ tollendæ præbet exemplum.* Ambr. lib. 7. in Luc.

II. Christus Mediator.

Sicut duobus inter se conflatâ pugnâ dissidentibus, alius quispiam medius interueniens, contendentium pugnam dirimit, & discordiam; ita egit Christus, --- medium se interponens. Chrysost. hom. de ascens. *Inde verò Christus mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, homo cum hominibus. Non mediator homo præter Deitatem, non mediator Deus præter humanitatem; sed inter diuinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi.* Aug. lib. de ouibus. *Nam mediator cum ambobus commune aliquid habere debet, quorum mediator est. Quodsi vnum quidem propinquitate contingat, ab altero verò distractus sit, non iam mediator est. Vt enim quod loci cuiuspiam medium est, ambabus naturis propinquum oportet esse.* Chrysost. hom. 7. ad Timoth.

III. Christus adorandus.

Inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellũ pedum Dei, & non solùm non peccamus adorando, sed peccamus non adorando. Aug. in Psal. 98. *Adoratur enim corpus, quod de terra est: non vt per semetipsum aut propter semetipsum adoratur vt Deus, sed vt per corpus & per carnem siue humanitatem Deus Verbo, qui inhumanatus est coadoretur.* Rusticus Diaconus contra Acephalos. *Nemo* enim *sic insanit, vt cùm adorare velit Imperatorem, in ipsius augustali, dicere huic audeat, exi ab illo tuo augustali, vt te adorem. Sic igitur nemo Vnigenito dixerit; depone corpus vt adorem te. Quin potius ipsum adorat cum corpore vnigenitum, increatum cum templo Sancto, quod veniens assumpsit.* Epiph. in Ancarato §. 51.

THEOLOGICÆ SS. PATRVM ET DOCTORVM ECCLESIÆ, ASSERTIONES.

De Sacramentis.

Propugnatæ ab eodem qui supra. Anno Dñi, 1683. Mense. Die

Præside R. P. Adamo Krasnodębski Societatis JESV, Ordinario Professore Sac: Theologiæ Scholasticæ & Polemicæ.

§. I. *De Sacramentis in genere.*

I. Sacramentorum notitia ex Ss. Patribus.

Longum est conuenienter disputare de veritate signorum, quæ cùm ad res sacras pertinent, Sacramenta appellantur. Aug. ep. 5. *Immo nobis non est tutum in eam quæstionem progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cepto, nullo plenario Concilio terminata est. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quòd in gubernatione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, vniuersali Ecclesiæ consensione roboratum est.* Aug. lib. 7. de bapt. contra Donatistas c. 53.

II. Notio Sacramenti.

Sacramentum ideò dicitur Sacramentum, quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secreta, operatur salutem. Greg. & Aug. vel potiùs ex Isidor. l. 6. originum seu ethymologiarum c. 18. apud Gratian. can. 1.

III. Conditiones Sacramenti.

1*ma* est, vt sit signum, *talis mysteriorum nostrorum est natura, vt aliud aspiciamus, aliud credamus.* Chrysost. hom. 7. in ep. ad Ephes. 2*da*, vt sit signum sacrum. *Sacrificium visibile, invisibilis Sacrificij est Sacramentum, id est signum sacrum.* Aug. lib. 10. de ciuit. c. 5. 3*tia* vt sit signum rei sacræ. *Oportuit vt per ministerium hominum, spiritualia dona nobis darentur, vt dum exterius Sacramen-*

tum percipimus, interius diuinâ gratiâ repleamur. Gregor lib. 6. in 1. Reg. 3. 4ta, vt sit signum sensibile. *Si esses corporeus, ipse dona incorporea tibi tradidisset, sed quia corpori est iuncta anima tua, ideò in rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.* Chrysost. hom. 83. in Matth. *Nec certè aliter fas erat, infirmitati nostræ lucere diuinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum, quibus ad superiora ferremur, opertum, & his, quæ nobis familiaria sunt, prouidentiâ paternâ, naturæ mortalium sese accommodante, vestitum.* Dionys. de Eccl. Hierar. cap. 1. *Siquidem nos visibilibus imaginibus ad diuinas intelligentias pro virium nostrarum modo conscendimus.* Dionys. de Eccl. Hierar. c. 1. 5ta, vt sit signum habens analogiam cum significato. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Aug. ep. 23. ad Bonifacium.

IV. Sacramenta alia veteris, aliæ nouæ legis.

Status nouæ legis medius est inter statum veteris legis, cuius figuræ implentur in noua lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nudè & perfecte manifestabitur veritas: & ideò tunc nulla erunt Sacramenta: nunc autem quamdiu per speculum & in ænigmate cognoscimus (vt dicitur 1. Cor. 13:) *oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia deuenire, quod pertinet ad rationem Sacramentorum.* Dionys. c. 5. Eccl. Hierar. p. 1. tit. 1. S. Thomas 3. p. q 61. a. 4. ad 1. *Sed verò eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta, sicut ipsa verba passurus & passus non similiter sonant; & ideò oportet quædam alia Sacramenta esse in noua lege, quibus significentur ea, quæ præcesserunt in Christo, præter Sacramenta veteris legis, quibus prænuntiabantur futura, Sacramenta quippe debent esse conuenientia statui humani generis.* Aug. lib. 19. contra Faustum c. 13. 16. 17.

V. Sacramenta noua præcellunt veteribus.

Quid confers lauacra cum lauacris, quæ solam [ferè] nominis appellationem communem habent, & tantùm inter se differunt, quantum discrimen est inter somnia & veritatem, inter vmbras & ea, quæ ventura sunt. Basil. lib. de Spiritu S. cap 4. *Si quis ergo dixerit ea ipsa nouæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cærimoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit.* Trid. sess. 7. can. 2. *Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm dandam esse per passionem Christi figurabant, hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt* Eugen. IV. in decreto ad Græcos §. 5. Ecclesiasticorum. *Vnde alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem: Sacramenta noui testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promiserunt Saluatorem. Vnde Circumcisionem accepit Abraham significationis gratiâ, non iustitiæ,*

idq;

idq; & sacræ scripturæ, & res ipsæ nos cogunt confiteri. Iustinus Martyr dialog. contra Triphon.

VI. Sacramenta vetera cessârunt.

Ablata sunt veteris legis Sacramenta, quia impleta, & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, significatione præstantissima. Aug. in Psal. & l. 19. contra Faustum c. 13.

VII. Sacramenta in genere definiuntur.

Sacramentum est inuisibilis gratiæ, visibilis figura. Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana. *Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium, diuina virtus salutem operatur.* Greg. Aug. Isidor. apud Gratian. cap. 11. can. 1. *Sacramentū est signum rei sacræ.* Aug. lib. 10 de ciuit. cap. 5. *Si quis autem plenius & perfectius, quid sit Sacramentum definire voluerit, definire potest, quod Sacramentum est corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam. Hoc autem interesse videtur, quòd omne Sacramentum similitudinem quidem habet ex prima conditione, institutionem ex superaddita dispensatione, sanctificationem ex apposita Verbi vel signi benedictione.* Hugo de S. Victor. lib. 1. de Sacram. p. 9 c. 2.

VIII. Sacramenta nouæ legis definiuntur.

Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tùm significandæ tùm efficiendæ vim habet. Catechismus Concilij Tridentini iussu Pij V. editus. *Vnde Sacramentum est & signum rememoratiuum eius, quod præcessit scilicet passionis Christi; & demonstratiuum eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, & prognosticum, id est, prænuntiatiuum futuræ gloriæ.* S. Thomas 3. p. q. 60. art. 3. in Corp.

IX. Sacramenta perficiuntur rebus & verbis.

Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ verbis tanquam formâ, & personâ ministri. Eugen. IV. in decreto Florent. § 5. Ecclesiasticorum. *Vnde verborum solemnitas & signa Apostolicis institutionibus & Sacerdotum ministerijs attributa, visibile efficiunt (alij legunt, celebrant) Sacramentum.* Cyprian. Ep. 73. ad Iulianum de baptismo. *Nam sicut judicio Spiritûs Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse diuinâ institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur, in hoc vel illo Sacramento.* S. Thomas q 60. art. 5. ad 1.

X. Numerus Sacramentorum nouæ legis.

Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Pænitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse verè ac propriè Sacramentū, anathema sit. Trident. sess. 7. can. 1. quare Doceant Pastores, septem esse Ecclesiæ Sacramenta diuinitùs instituta, per quæ velut apta instrumenta, atq; remedia suæ gratiæ munera nobis impertitur Deus. Concil. Moguntinum c. 11. Porro hæc septem Sacramenta possunt comprehendi hoc versu: Abluo, firmo, cibo, doleo, vngo, ac ordino, iungo.

XI. Sacramentorum necessitas.

Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit. Trident. Sess. 7. can. 4. Similiter si quis dixerit hæc Sacramenta, propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit. Ibid. can. 5. Sicut antiqui Patres Saluati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos saluamur per fidem Christi iam nati & passi: sunt autem Sacramenta, signa protestantia fidem. S. Thom. q. 61. art. 4 in Corp. Non quia alius modus non fuit possibilis Deo, sed quia sanandæ nostræ miseriæ, alius conuenientior non fuit, neq; alium esse oportuit. Sic fuit Deo possibilis modus alius nos iustificare sine Sacramentis, sed per Sacramenta hæc fuit conuenientior. Aug. lib. 13. de Trinit c. 10. Sicut nulla fuit causa Christo Domino veniendi in mundū, quàm peccatores saluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla opus erit medicina. Aug.

XII. Alia Sacramenti conuenientia.

Consueuerunt laborantes in agris & vineis post sudores operis, meridiani æstûs ardorem declinare, vmbras petere, atq; virentia prata eligere; quatenùs in ipsorum planitie & amænitate residentes, fesso corpori iucundius cibaria administrent: Habent etiam nautæ hoc proprium, vt post sedatas tempestates, post sulcata per tempus prolixum æquora, quærant portum, solicitè perlustrent littora, in quibus descendant, naues reficiant, vela resarciant, atq; quidquid vetustate corruptum, aut procellis dissipatum est, restaurent, quatenùs iterum flante prospero vento marinis se fluctibus tradant: Campiductores quoq; & exercituum Principes aduersus hostes visibiles dimicare cessantes, disponunt tentoria, & quædam specialia deputant loca, in quibus pro resumendis viribus, pro supplendis necessitatibus, seu medendi causâ accedere valeant bellatores. Sic quoq; dux noster, sic spiritualium militum inuictissimus Rex Christus, certantibus in hoc spirituali & inuisibili stadio militantis Ecclesiæ, spiritualia quædam ordinauit munita præsidia, ad quæ pugnantes confugiant, vt in illis resum-

resumptis viribus, vel fortes vulneribus, iterum in campum redeant acriùs bellaturi. Hæc nempe tutissima & inexpugnabilia loca à Domino Iesu eius parata militibus, ad refocillanda corda, & ad detergenda animæ vulnera spiritualia sunt Sacramenta. Per hæc namq; datur lapsis requies, debilibus robur, formidolosis audacia, & semel prostratis fiducia dimicandi. Laurent. Iustinian. de discipl. & perfect. monast. c. 19.

XIII. Sacramentorum alij fines.

ALTERA causa est, quòd animus noster haud facilè commouetur ad ea, quæ nobis promittuntur credenda ... Quemadmodum igitur in veteri testamento Deus fecerat, vt magni alicuius promissi constantiam signis testificaretur; ita etiam in noua lege &c. Catechismus Tridentini & Pij V. iussu editus. Non quia ipse opus habeat recordatione, sed vt nos ad illud signum respicientes nihil durum suspicemur, sed statim recordemur diuinæ promissionis & roboremur, & confidamus. Chrysost. h. 28. in Gen. TERTIÒ. In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur, Aug. lib. 19. cap. 11. contra Faustum.

XIV. Causa instituens Sacramenta est Christus, potuit esse & creatura.

Auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Iesus, de cælo ista Sacramenta venerunt: consilium enim omne de cælo est. Ambr. l. 4. de Sacram. c. 4. Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima instituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est sub vno Deo liberæ multitudinis continerent. Aug. lib. de vera religione. Ipse Summus Sacerdos, sui est Sacramenti institutor, & auctor. Cypr. Si quis igitur dixerit, Sacramenta legis nouæ non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit. Trid. Sess. 7. can. 1. Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet dare potestatem alicui seruo, vt daret Baptismum suum tanquam vice suâ, & transferre à se baptisandi potestatem, & constituere in aliquo seruo suo, & tantam vim dare Baptismo translato in seruum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino. Aug. tr. 5. in Ioan. Scilicet potuit eis dare authoritatem Baptismi, quibus contulit ministerium. Glossa ordinaria super illud 1. Cor. 1 diuisus est Christus.

XV. Causa Perficiens Sacramenta est homo.

Sacramenta tribus perficiuntur materiâ, formâ, & ministro. Concil. Florent. in decreto Eugenij. Nemo accipit sine dante, sed quod attinet ad Baptismum adest Deus, quem dat siue per hominem (ordinariâ lege) siue (extraordinariâ lege) per Angelum. Aug. l. 2. contra Parmenionem c. 15. Lege enim ordinaria in his

quæ à Deo donata sunt nobis, neq; Angelus, neq; Archangelus quidquam potest. Chrysost. hom. 83. in Ioan. quia quamuis Deus Sacramentorum auctor, & dispensator sit; eatamen non per Angelos, verùm per homines ministrari in Ecclesia voluit. Catechismus Rom. p. 2. c. 1. q. 15. Attamen si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit. Trid. Sess. 7. can. 10. Sacerdotes nos omnes generant, & condonandorum peccatorum potestatem obtinent. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio.

XVI. Sacramenta ministranda cum intentione & ritu certo.

Oportet vt Minister se subijciat principali agenti per intentionem, quâ intendat id facere, quod facit Christus & Ecclesia. S. Tho. 3. p. q. 64. art. 8. ad 1. Vnde Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. Trid. sess. 7. can. 11. Porrò cogitemus nos sub conspectum Dei stare: placendum est diuinis oculis & habitu corporis, & modo vocis. Cypr. serm. de orat. Dominica. Quid est quod omnes nouerunt signum Christi; nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, quâ generantur, siue oleo, quo Chrismate unguntur, siue sacrificio, quo aluntur; nihil eorum ritè perficitur. Aug. tr, 118. in Ioan. Quare si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut nouos alios per quemcunq; Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. Trid. sess. 7. can. 13.

XVII. Peccat minister dum malis Sacramenta ministrat.

Nefas est ea, quæ iusta sunt, non secundùm dignitatem, meritaq; exequi, vt mihi quidem videtur, audax nimium huiusmodi est, qui non veretur ea, quæ sunt diuina, præter meritum exequi. Dionys. ep. 8. ad Demophylum. Sacrosancta religio, quæ Catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet nisi puræ conscientiæ non audeat peruenire. Nam quomodo ad diuini mysterij consecrationem cælestis Spiritus inuocatus adueniet, si Sacerdos, qui eum adesse precatur, criminosis plenus actionibus reprobetur. Gelasius Papa in ep. ad Elpid. Quare videant, qualē rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sanctè vtuntur. Aug. in Psal. 103. ad Sacerdotes. Necesse est, vt munda sit manus, quæ diluere sordes curat. Greg. l. 1. ep. 24. ipsosq; Reuerendissimos Præsules Pontificio iure monebis, mundè vt munda contingant. Dionys. c. 1. de Eccl. Hierarchia ad Timoth. Est hoc de iure naturali, vt Sancta sanctè tractentur. S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. quæstiun. 5. ad 2.

XVIII. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio Ministri.

Tunc Sacramentum est validum, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem. Ille verò qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Innoc. III. in C. Maiores §. Item quæritur, de Baptismo. *Attamen obmutescens, baptisari aut pænitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium, aliorum verbis habet.* Concil. Arausicanum 1. c. 12. *Ac omnes ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, dixerint, baptizentur.* Concil. Carthag. 3. cap 34. *At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet, ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cùm legitur, naturaliter mouet, ætatem habet, ipse pro se loquatur* Aug. in C. cum paruulis de consecr. d. 4. ex l. 4 de Bapt. cap. 24.

XIX. Valor Sacramenti non pendet ex probitate Ministri.

Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere, aut non conferre Sacramentum, anathema sit. Trid. Sess. 7. can. 12. *Et ego dico, & omnes dicimus, quia iustos oportet esse tanti Iudicis ministros. Sint ministri iusti si volunt, si autem noluerint esse iusti, qui supra cathedram Moysis sedent, securum me fecit Magister meus, de quo Spiritus eius dixit, hic est qui baptisat.* Aug. tr. 5. in Ioan. *Deus operatur per malos ministros, visibilem Sacramenti formam, ipse verò donat inuisibilem gratiam.* Aug. ep. 166. *Vnde nil nobis deperit, etiamsi Sacramenta ab indignis suscipiamus, quia Deus est, qui per illos baptisat, Sacerdos verò præbet solùm manum & linguam.* Chrysost. hom. 85. in Ioan. *Sicut nihil interest, an agricola habet manus lotas, an sordidas, sic & bona doctrina datur per malos Ecclesiæ ministros, quia sedent super cathedram, & est sicut palmes in sepe, & botrus inter spinas.* Aug. lib. 3. ad Crescon. c. 6. & 8. *Tam bene per annulum ferreum imprimitur figura Regis in cera, quàm per annulum aureum.* Ex oratione Nazianzeni in 5. Baptismum.

XX. Etiam effectus Sacramentorum non pendet à probitate Ministri.

Si daretur maior gratia per iustum Ministrum, posset quis spem ponere in homine, & dicere, ego sum Pauli, ego Cephæ. Aug. lib. 3. contra Cresconium c. 6. *Sed verò quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus? quid te impedit maliciosus præco, vbi bonus est Iudex?* Aug tr. 5. in Ioan. *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Aug. l. 2. con.

tra ep. Parmeniani c. 10. *Per ministros dispares, Dei munus æquale est, quia non illorum est, sed eius est.* Aug. lib. 3. c. 6. contra Crescouium. *Si Christus principaliter baptisat in omni baptismo, cùm ipse sit eximiè sanctus, poterit per quemuis etiam sceleratum, alium sanctificare: quia sicut aqua non mutatur sed transit per canalem lapideum ad irrigandum areolas, ita gratia per Ministrum: sicut per lapideum canalem transit aqua in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimùm affert fructûs; ita gratia per Ministrum.* Aug. tr. 5. in Ioan. *Malè bona administrando, se tantummodò lædunt.* Nicol. 1. ad consulta Bulgarorum. tit. 11 c. 5

XXI. A parato malo Ministro, & in necessitate licet petere Sacramentum.

Neq; in homine bono aliquis Sacramenta fugiat, neq; in homine malo. Aug. contra Perill. & hab. 1. q. 1. c. neq; in homine. *Spina portat fructum non suum, botrum carpe, spinam caue.* Aug. tr. 46. in Ioan. *Sed verò multi sæcularium hominum cùm plùs Sacerdotis vitam, quàm suam discutiunt, in magnum contemptionis diuinorum Sacramentorum crimen incurrunt. Magnâ enim trabe habentes vulneratos oculos, eamq; negligentes, festucam tenuem in aliorum conspiciunt oculis, quam dum incauti festinant euellere, erroris in foueam delabuntur. Vndè ideò non solùm ab eis dicta respuunt, sed (quod est deterius) diuina mysteria contemnunt. Heu! in quàm magnum laqueum incidunt, vt diuina & occulta mysteria plùs ab alijs sanctificata posse fieri credant; cùm vnus idemq; Spiritus Sanctus in Ecclesia diffusa per totum orbem terrarum incomprehensibiliter ea mysteria occultè, atq; inuisibiliter & operando sanctificet, & benedicendo benedicat.* Greg. & hab. 1. q. 1. c. Multi sæcularium.

XXII. In vsu Sacramentorum confertur gratia habitualis.

Qui ea, quæ non intelligunt reprehendentes, lepram, vel scabiem, vel verrucas legis esse dicunt, promissiuas figuras Sacramentorum, similes sunt hominibus, quibus displicent ea, quorum non capiunt vtilitatem: velut si surdus, videns moueri labia loquentium, tanquam superfluos oris motus deformesq; reprehenderet: vel si quisquam cæcus, laudata sibi aliqua domo, vellet palpando probare quod dicitur, & parietum leuitatem manu pertractans, in fenestras corrueret, easq; velut inconuenientes illi æqualitati redargueret, cauernasq; ruinosas putaret. Aug. lib. 22. contra Faustum c. 6. *Gratiam certè per Sacramenta, tanquam per alueum quendam in nos ipsos deriuari oportet.* Catechismus Romanus. *Immò ex consueto rerum effectu adiuta infirmitas fidei nostræ, sensibili argumento edocetur, visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum.* Cypr. serm. de cæna Dñi.

XXIII.

XXIII. In vſu Sacramentorum confertur gratia habitualis.

Sicut in exterioribus diuerſa ſunt ſigna, & (vt cepto immoremur exemplo) variæ ſunt inueſtituræ ſecundùm ea, de quibus inueſtimur v. g. inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per baculum & annulum ſimul. Sic & diuiſiones gratiarum, diuerſis traditæ ſunt Sacramentis. Bern. ſerm. 1. de cæna Domini ante medium. *Porrò ratio Sacramentalis gratiæ ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus. Vnde ſicut non æquiuocè dicitur animal communiter dictum, & pro homine ſumptum, ita non æquiuocè dicitur gratia communiter ſumpta & gratia Sacramentalis: quia gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem.* S. Thom. 3. p. q. 62. a. 2. ad 3. in Corp.

XXIV. Gratiam vetera Sacramenta non cauſabant, cauſant noſtra.

In illis Sacrificijs non erat expiatio peccatorum, ſed umbra futurorum. Auguſt. tract. 41. in Ioan. At verò *nouæ legis ſunt ſeptem Sacramenta, quæ multùm differunt à Sacramentis antiquæ legis: hæc enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſsionem Chriſti dandam eſſe figurabant; noſtra & continent gratiam, & eam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Concil. Florent. ſub Eugen. IV. *Id quidem humana ratione atq; intelligentiâ comprehendi non poteſt; conſtitutum enim eſſe debet, nullam rem ſenſibilem ſuaptè naturâ, eâ vi præditam eſſe, vt penetrare ad animam queat; at fidei lumine cognoſcimus, omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis ineſſe, quâ id efficiunt, quod ſuâ vi res ipſæ naturales præſtare non poſſunt.* Catechiſmus Rom. 2. p. c. 1. q. 18. Quare *ſiquis dixerit, Sacramenta nouæ legis, non continere gratiam, quàm ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, qu. ſi ſigna tantùm externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſsionis, quibus apud homines diſcernũtur fideles ab infidelibus; anathema ſit.* Trid. ſeſſ. 7. can. 6.

XXV. Cauſare gratiam poſſent phyſicè, cauſant verò moraliter.

Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm. Aug. lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. *Quemadmodum viribus ignis intenſiùs aqua calefacta non aliter vrit, quàm ipſe ignis; ſic Spiritûs S. operatione aquâ, qua baptiſati corpus aſpergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam* Cyrill. Alexandr. l. 2. in Ioan. c. 42. Sed verò *remiſsio peccatorum ſiue per baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, propria Spiritûs Sancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum ſolemnitas, & Sacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis, Sacerdotum miniſterijs attributa, viſibile celebrant Sacramentum; rem verò Sacramenti, Spi-*

ritus S. format & efficit. Cypr. serm. de Bapt. Christi. *Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus, aliud operatio: aqua opus est, operatio Spiritus S. est.* Ambr. lib. de Spiritu S. c. 15. *aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ; soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Christo.* Aug. ep. 23.

XXVI. Sacramenta causant gratiam ex opere operato, semper & in omnibus.

Multi me absente baptisati sunt, quid tum? nihil enim minus habent gratiæ; non claudicat donum Dei: me absente baptisati sunt, sed Christo præsente sunt baptisati. Chrysost. hom. de suo reditu. *Sanctificatio Sacramenti per seipsam consideranda est.* Aug. lib. 4 contra Donatistas c. 24. *Quia Sacramentum quantum in se est, sine propria virtute esse non potest, quamuis ab indignis sumatur.* Cypr. serm. de Cæna Domini. *Et si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper & in omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus; anathema sit.* Trid. sess. 7. can. 8. *Totus verò fructus visibilium Sacramentorum in gratia inuisibili positus est* Aug. q. 24 in Leuit.

XXVII. Indispositus impedit effectum Sacramenti.

Nemò debet esse securus de effectu Sacramenti; licet Sacramentum susceperit, nisi sit corde dispositus. Aug. lib. de bapt. c. 3. *Sicut si canibus dederis sanctum, aut porcis margaritas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos: sed è contra canes coinquinant sanctum, & porci margaritas sordidant & confringunt: Sic si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus, sanctum dederis, aut mysteria sancta tradideris; nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis illos illuminant, sed è contra ipsi sanctum coinquinant, & mysteria veritatis blasphemat.* Chrysost. in c 17. Matt. hom. 17.

XXVIII. Character imprimitur in tribus Sacramentis.

Nisi characterem in te cognoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit, quomodo, inquam, dices, Dei sum, signa non ostendens? An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto exterminator præterijt? thesaurus obsignatus furibus facile patebit: ouis item absq; nota, insidijs protinus est obnoxia, Basilius hom. 13. *Iudæi per circumcisionem signati sunt, & tanquam bruta animalia, signaculum corporale acceperunt, nos verò tanquam filij Dei, Spiritu S. signati sumus* Theophylact. in cap. 1. ad Ephes. *Inter Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum à cæteris distinctiuũ imprimũt in anima indelebiliter* Conc Flor. in instr. Armen. Ergò *si quis dixerit in tribus Sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione & Ordine, nõ imprimi charactere in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelibile, vnde ea iterari non possunt; anathema sit.* Trid. sess. 7. can. 9.

§. II.

§ II. De Baptiſmo & Confirmatione.

I. Datur Baptiſmus Chriſti diſtinctus à Baptiſmo Ioannis.

Chriſtus baptiſabat non eo baptiſmate, quo ipſe baptiſatus eſt. Aug. tr. 19. in Ioan. *quia Ioannes baptiſabat in eũ, qui venturus erat;* Hieron. in c. 2. Ioëlis. *baptiſabat in nomine venientis;* Ambr. lib. de Spiritu S. c. 7. *Baptizauit Ioannes nondum tamen ſpiritualiter: baptizat quoq; Ieſus, ſed in Spiritu.* Nazian. orat. 20. *Hinc ſi quis dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti; anathema ſit.* Trid. ſeſſ. 7. can. 1. *Quanto præſtantior eſt Spiritus S. aquâ, tanto excedit, qui baptizat in Spiritu S. illumq; baptiſat in qua, & ipſum adeo Baptiſma.* Baſil l. 1. de Bapt. *Ioannes pænitentiæ Baptiſmum prædicauit, dominus autem adoptionis filiorum, Baptiſmum longè excellentiùs annuntiat. Vnde baptiſatos à Paulo eos, qui iam baptiſmo Ioannis à Paulo baptiſati fuiſſent, legimus in Actibus Apoſtolorum, non ob aliud niſi quia Baptiſmus Ioannis non erat Baptiſmus Chriſti.* Aug. l. 5. de Bapt. c. 9.

II. Baptiſmus eſt Sacramentum.

Pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & conſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus ex Apoſtolica tradit diſciplina; ſicut eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini. Auguſt. l. 3. de doctr. Chriſtiana c. 9. *Reſpice ad munera ipſius Eccleſiæ. Munus Sacramentorum in baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris Sanctis Sacramentis, quale munus eſt?* Auguſt. conc. 1. ſuper Pſal. 103.

III. Definitur Sacramentum Baptiſmi.

Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ. Catech. Conc. Trid. *Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior facta ſub forma præſcripta verborum.* S. Thom. 3 p. q. 66. a. 1. in corp. ex Magiſtro ſentent. *Magnum eſt ſanè hoc propoſitum Baptiſma: captiuitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum & indelebile, currus ad cælum, deliciæ paradyſi, regni cæleſtis conciliatio, Chriſmaq; adoptionis filiorum.* Cyril. Hierozolymit. in proœmio ſuarum Catecheſeon. *Eſt expurgatio, contemplatio, crux, & ſepultura Chriſti.* Chryſoſt. orat. ad baptiſatos. *Sigillum pactionis diuinæ.* Clem. l. 7. Conſtit. Apoſtolicarum c. 23. *Regeneratio, Sigillum, & tutela* Damaſc. lib. 4. Orthod. fidei c. 10. *Illuminatio.* Dionyſ. c. 3. Eccleſiaſt. Hierarch. *Lauacrum* Nazianz. *Principium Sanctiſſimorum mandatorum.* Diony. c. 2. Eccl. Hierach.

IV.

IV. Materia remota Baptiſmi eſt aqua ſimplex & elementaris.

Tactu mundiſſimæ ſuæ carnis, Chriſtus vim generatiuam contulit aquis. Beda ſerm. de Epiph. doni & lib. 1. in Lucam c. 10. *Baptiſatus certè eſt Dominus, non mundari volens ſed mundare aquas; vt ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognouit, Baptiſmatis ius haberent.* Ambr. l. 2. in Luc. *Filium genuit Mater, & caſta eſt; Chriſtum vnda lauit, & ſancta eſt: nam ſicut poſt partum glorificata eſt Mariæ caſtificatio, ita poſt baptiſmum aquæ purificatio eſt comprobata; niſi quod penè maiori munere quàm Maria, vnda ditata eſt. Illa enim ſibi tantùm meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem: illa meruit, ne peccaret, iſta vt peccata purgaret: illi collata eſt Virginitas, iſti donata fœcunditas.* Aug. ſerm. 36. de temp. Adeoq; *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atq; adeò verba illa Domini noſtri IESV Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit.* Trid. ſeſſ. 7. can. 7.

V. Proxima Baptiſmi materia eſt ablutio.

De trina immerſione Baptiſmatis nihil reſpondere verius poteſt, quàm quod ipſi ſenſiſtis: quia in vna fide nil officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa. Nos autem, quod tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignificamus, & dum tertiò infans ab aquis educitur reſurrectio triduani temporis exprimitur. Gregor. Leonardo Epiſc. & habetur de conſecr. diſt. 4. de trina. *Vnde reprehenſibile eſſe nullatenùs poteſt, infantem in Baptiſmo vel ter vel ſemel immergere, quoniam & in tribus immerſionibus, perſonarum Trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari.* Idem Ibid. Immò, *quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat* (ſeu tingat vel ſola aſperſione) *& cor abluat.* Aug. tr. 80. in Ioan.

VI. Baptiſmi forma certa.

Certa ſunt Verba Euangelica, ſine quibus Baptiſmus non poteſt conſiderari. Aug. lib. 6. contra Donatiſt. tr. 7. c. 25. *ac niſi ſyllabæ illæ celeriter ſonantes & tranſeuntes dicantur, non conſecratur Baptiſmus.* Aug. lib. 19. contra Fauſtum c. 16. *Mandauit enim Apoſtolis vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Tertull. contra Praxeam. *Baptizantur porrò in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, vt quorum vna eſt diuinitas, vna ſit largitio, nomenq; Trinitatis, vnus Deus.* Hieron. in Matt. *Baptizamur in nomine, non in nominibus, quia hi tres, vnum ſunt, & hi tres, vnus eſt Deus.* Aug. lib. 3. contra Maximenum c. 32. *Noli mirari, quia dixi vnum nomen, quia vbi eſt vna ſubſtantia, vna diuinitas, vna maieſtas.* Ambr. lib. 2. de Sacram.

VII.

VII. Baptiſmi forma immutabilis.

1mò, quoad ablutionem, *Si exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum Sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum.* Concil. Flor. in decreto Eugenij. *At ſi quis puerum in aqua immerſerit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & non dixerit, Ego te baptizo, non eſt puer baptiſatus.* Alexander III. in c. 1. de baptiſmo. 2dò. quoad inuocationem Trinitatis, *Qui præterea in Sanctam Trinitatem baptiſati non fuerint, illos rebaptiſare oportet.* Damaſc. lib. 4. cap. 10. de Fide. 3tiò. quoad inuocationem perſonarum, *ſi quis vnam in Trinitate perſonam in baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma verum non eſſet.* Zacharias Papa de conſecr. diſt. 4. can. 11. Synodo Anglicana. *Vnde notandum eſt, ſi quis baptiſans dicat, Baptizo te in Chriſto IESV, & non dicat in nomine Patris, & Filij; & Spiritûs Sancti, ſicut Dominus inſtituit, non eſt verus Baptiſmus.* Beda lib. Variar. quæſt. q. 14. *Fit mentio Chriſti in Baptiſmo Apoſtolorum, non quaſi Pater omitteretur, ſed vt Filius Patri coniungeretur.* Cypr. ep. 73. *Quemadmodum ex his verbis, quibus dicuntur omnia facta per Filium, & ſine ipſo factum eſt nihil, nemo rectè colligat, nemo rectè concludat excludi Spiritum Sanctum ab operatione creationis; ita neq; ex Baptiſmo in nomine Chriſti colligi poteſt, non fuiſſe collatum Baptiſmum in nomine Patris, & Spiritûs Sancti* Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 17. *Quandò ergò dicimus Baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus, quod oporteat in ſolius nomine Chriſti fieri, ſed quod Chriſti Baptiſma ſpirituale eſt: inſuper intelligi in morte Chriſti: & aliter: Chriſti nomen in ſeipſo continet & Patrem vngentem, & vnctionem ſpiritûs, & vnctum Filium.* Theophyl. in fine Euangel. Luc. 4tò. quoad omnia, Deniq; *ſi quis Baptiſmum recipiat factâ vel aliquâ mutatione in his, quæ à Chriſto tradita ſunt, perinde eſt acſi Baptiſmum non reciperet.* Baſil. lib. de Spiritu S. c. 10.

VIII. Miniſter Baptiſmi.

Satis oſtendimus ad Baptiſma, quod verbis Euangelicis conſecratur, non pertinere cuiuſquam dantis vel accipientis errorem, ſiue de Patre, ſiue de Filio, ſiue de Spiritu Sancto aliter ſentiat, quàm cæleſtis doctrina inſinuat. Aug. lib. 4. de vnico baptiſmo relatus de conſecr. diſt. 4. c. ſatis. *Si quis ergò dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis, in nomine Patris & Filij, & Spiritûs Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum; anathema ſit.* Trid. ſeſſ. 7. can. 4. Adeoq; *in caſu neceſſitatis non ſolùm Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam Laicus & mulier, imò & paganus, & hæreticus baptizare poteſt, dummodo ſeruet formam Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.* c. Firmiter de Summa Trinit. & in Conc. Florent. de Armenis.

IX. Adulti & paruuli baptiſandi.

Si quis dixerit, neminem baptiſandum eſſe, niſi eâ ætate, quâ Chriſtus baptiſatus eſt, vel in ipſo mortis articulo; anathema ſit. Trid. ſeſſ. 7. can. 12. & ſeſſ. 5. can. 4. *Vnde Eccleſia infantibus accommodat aliorum pedes, vt veniant, aliorum cor, vt credant, aliorum linguam, vt confiteantur.* Aug. ſerm. 10. de verbis Apoſtol. *Quia nondum poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem.* Aug. l. 1. de Sanctorum meritis c. 21. *Nemo ergo mihi dicat eum non habere fidem, cui Mater impertit ſuam;* Bern. ſerm. 66. in cantica. *Sin minùs, muniuntur fide vniuerſæ ſocietatis Sanctorum* Catechiſmus Trid.

X. Paruuli per Baptiſmum fiunt fideles & iuſtificantur.

Paruulum etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, fidelem faciat, iam tamen ipſum fidei Sacramentum facit fidelem: Nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur; non rem mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Aug. ep. 23. ad Dardan.

XI. Baptiſmus non eſt iterabilis.

Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc Sanctæ Trinitatis ſigna ſuſceperit, quæ Chriſtiana tradidit diſciplina, omninò peccatum eſt; rebaptizare autem Catholicum, immaniſsimum ſcelus eſt. Aug. relatus de conſecr. d. 4. *Quodſi quis ludicrè, mimicè, & iocular iter fuiſſet baptizatus, deberet diuinum iudicium per miraculum alicuius reuelationis explorari, antequam ad baptizationem recurreretur. Non dico, in vſu eſſe, poſtulari huiuſmodi reuelationes, ſed vt admonitos habeam Sacerdotes, quanta ſit diligentia adhibenda, priuſquàm conditionalis baptizatio fiat.* Aug. apud Op. Quære *Si quis dixerit verum & ritè collatum baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negauerit, cùm ad Pœnitentiam conuertitur; anathema ſit.* Trid. ſeſſ. 7. can. 11. *Nullus* enim *negat habere Baptiſmum etiam Apoſtatas, quibus vtiq; redeuntibus, & per pœnitentiam conuerſis, non redditur, qui amitti poſſe non iudicatur: Sicut & ij, qui in ſacrilegium ſchiſmatis ab Eccleſiæ communione diſcedunt, habent vtiq; Baptiſmum, quem priuſquàm diſcederent, acceperunt.* Aug. l. de bapt. & hab. de conſecr. d. 4. c. nullus.

XII. Baptiſmus non facit impeccabilem, nec liberum à voto, aut lege Dei & Eccleſiaſtica.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſsionem eſſe inſtitutum. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. *Per Baptiſmum Chriſti id agitur, vt caro peccati euacuetur: Non autem*

sit euacuatur, vt in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit. *Si quis verò dixerit baptizatos per Baptismum ipsum solius tantùm fidei debitores fieri, non autem vniuersæ legis Christianæ seruandæ* (& legis Ecclesiasticæ) ; *anathema sit.* Trident. sess. 7. can. 7. & 2.

XIII. In Baptismo tolluntur peccata omnia, & dimittitur reatus pœnæ debitæ Deo.

Diuinæ gratiæ lauacrum, non corporis maculas sed animæ sordes mundare consueuit; etsi mollis, etsi fornicator, etsi totius malitiæ nodis adstrictus. Chrysost. tom. 5 hom. ad Baptisandos ante medium. *Sic lauans, quæ parentalis labes infecerat, vt neq; actualis, nec originalis culpæ vestigia relinquat.* Cypr. lib. ad Quir & ler. de ablut. pedum. *Et quidem si qui sunt, qui dicunt, peccata in Baptismo superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius?* Greg. lib 9. regestri ep. 39. *Anima in Baptismo radicitus à peccato absoluitur; peccatum in Baptismo funditùs dimittitur. Aliàs lotus mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit, sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait, qui lotus est, mundus est totus. Nil ergò ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit.* Greg. l. 9. c. 39. *Quare si quis per Iesu Christi Domini gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet; sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema sit.* Trid. sess 5. can. 5. *Quemadmodum enim in Christo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita & in nobis vera iustificatio.* Aug. in Enchirid. c. 12, *In renatis nihil Deus odit, qui innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, ita vt nihil prorsùs eos ab ingressu cæli remoretur.* Trid. sess. 5. can 5. & sess. 6. c. 14.

XIV. Baptismus sublatâ fictione operatur.

Valet Baptismus, etiamsi quis consentiat se baptizari propter aliquod lucrum temporale: Aug. l. de Catechisandis rudibus c. 17 Immò, *si quis velit baptizari ad committendum aliquod flagitium, modò velit baptizari, verè baptisatus est.* Aug. l. 2. contra literas Petiliani c. 5. *Tunc* porrò *valere incipit ad salutem baptismus, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia vel sacrilegio perseuerante peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Aug. lib. 1. contra Donatist. c. 2. & relatus in decr. de consecr. d. 4.

XV. Baptismus Necessarius.

Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequàm baptizentur, morte præuentos posse peruenire ad indulgentiam originalium, si vis esse Catholicus. Aug. lib. 2.

de anima & eius orig. cap. 12. & lib. 3. c. 9. *Non fas est credi, eos qui non sunt adepti regenerationis Sacramentum, ad vllum Beatorum peruenire consortium.* Prosper lib. 2. de vocat. gent. c. 8. *Quare si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit.* Trid. sess. 7. can. 5.

XVI. Baptismum Fluminis aliquando supplet Baptismus Flaminis aut Baptismus Sanguinis.

Si petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo, obtinere nequiuerit, dum non desit recta fides, spes pia, charitas sincera; propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam si defuerit, nequaquam omninò possum desperare salutem Bern. ep. 77. citans Ambr. & Aug. *Quicunq; etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm res valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte Baptismatis.* Aug. lib. 13. de ciuit. c. 7. *Quoniam ipse re ipsâ commoritur Christo, alij in figura.* Clemens Rom. lib. 5. Constit. Apost. c. 7.

XVII. De Confirmatione.

Hoc Sanctum vnguentum postquam consecratum est, non est ampliùs nudum vnguentum. sed Chrisma Christi, quo cùm corpus vngitur, anima Spiritu S. sanctificatur. Cirill. catechesi 3. *Quod nunc quoq; apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manûs impositionem, Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Cypr. ep. 72. ad Stephanum Papam.

§ *III. De SS. Eucharistia.*

I. Eucharistia est Sacramentum à Christo institutum.

Quia corpus assumptum ablaturus erat Christus ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat, vt die cœnæ Sacramenta Corporis & Sanguinis sui consecraret nobis, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Euseb. Emiss. hom. 7. in Pascha & relatus de consecr. d. 4. *Ac, vt vmbræ cederent Corpori, antiqua obseruantia excluditur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguinis affertur, & legalis festiuitas, dū mutatur, impletur.* Leo ser. 7. de Pasch. Dom.

II. Eucharistiæ materia est panis, & vinum aquâ mixtum.

In Sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quàm quod Dominus ipse tradidit, hoc est panis & vinum aquâ mixtum. Conc. Carthagin. tertium, cui interfuit D. Aug. can 24. aliàs 23. & refertur de consecr. dist. 2.

Non

Non debet porrò in calice Domini, aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed vtrumq; permistum, quia vtrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. Alex. 1. in ep. ad omnes orthod. *Tum quod Christum ita fecisse credatur;* Trid. sess. 22. cap. 7 & Florent. *Tum quòd videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi;* Iulius Papa relatus de consecr. dist. 2. c. cum omne crimen; *tum quia redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.* Ambr. lib. lib. de Sacram.

III. Forma consecratoria Eucharistiæ.

Christus in cœna hoc Sacramentum instituit, cùm post panis viniq; benedictionem, se, suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, aut perspicuis verbis testatus est. Trid. sess. 13. cap. 1. *Acceptum scilicet panem, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo:* Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 4.

IV. Forma Eucharistica est assertiua, & operatoria.

Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus conficitur hoc sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Concil. Florent. *Omnia sunt Euangelistarum verba vsq; ad Accipite, siue corpus, siue sanguinem; Inde autem sunt verba Christi, accipite, manducate, hoc est corpus meum; accipite, bibite, hic est sanguis meus: & antequam consecretur, panis est, vbi autem verba Christi acceperunt, corpus est Christi.* Ambr. lib. 4. Sacram. c. 3.

V. In Eucharistia corpus Christi est verè, realiter, & substantialiter.

O miraculum! ô benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, ille in ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ipso momento, quo Sacerdotem vides sacrificio incumbentem, & aperiuntur cæli, & Angeli intersunt. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio. *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed ipsum corpus Domini Deificatum, ipso Domino dicente, hoc est meum (non figura corporis, sed) corpus, & (non figura sanguinis, sed) sanguis.* Damasc. l. 4. de fide. c. 14. & in VI. synodo action. 6. *Sicut verus est Dei filius Dominus* IESVS *Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus eius sanguis, quem potamus.* Ambr. lib. 6. de Sacram. c. 1. Itaq; *si quis negauerit in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini nostri* IESV *Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.* Trid. sess. 13. can. 1.

VI. Christus in Eucharistia est solus sine pane, *seu*, In consecratione Eucharistiæ transubstantiatur panis & vinum.

Quantis vtimur exemplis, vt probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit. De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. ergo si tantum valuit sermo Eliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit sermo Christi vt species elementorum mutetur? sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt mutare, in id, quod non erant. Ibid. *Non enim minùs est nouas rebus dare formas, quàm mutare naturas.* Ambros. lib. 3. de Sacram. & de ijs 2. qui mysterijs initiantur c. 9. *Dixi vobis, quod ante verba Christi quod offertur, panis dicitur; vbi verba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Aug. serm. 28. de verbis Domini. *Inuisibilis scilicet Sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens accipite & edite, hoc est corpus meum.* Euseb. Emiss. hom. 5. de Paschate. *Sicut verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc pronuntiant, ita & oblatio eadem est.* Chrysost. hom. 2 in ep. 2. ad Tit. Vnde *si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento manere substantiam panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Domini nostri* IESV *Christi; negaueritq; mirabilem illam, & singularem Conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conuersionem Catholicâ Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellauit; anathema sit.* Trid. sess. 13. can. 2.

VII. Christus sub accidentibus sine subiecto.

Sub specie panis datur tibi corpus, sub specie vini datur tibi sanguis. Cyrill. Hierosolymit. *Sed quid aliud sunt species panis & vini, nisi accidentia sine subiecto.* Conc. Colonien. sub Paulo III. parte septimâ cap. 5. & Catechism. Rom. *Sicut enim aliud est albedo, aliud corpus, quod per illã fit albũ; sic aliud est lux, aliud corpus lucidum; & quamuis nos ea separare non possumus nisi cogitatione, Deus tamen reipsâ illa separare potest.* Basilius hom. 6. *Christus tangi potest, sed affectu non manu, voto non oculo, fide non sensibus. Tanges manu fidei, desiderij digito, deuotionis amplexu, tanges oculo mentis.* Bern. serm. 20. in Cant.

VIII. Christus totus in toto.

In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi. Ambr. lib. 1. de mysterijs c. 9. *Vbi nunc corpus Christi fuerit, nisi cum ea natura, à qua assumptum est?* Nazianz. Ep. 1. ad Chelidonium. *Manet enim inuiolata vtraq; natura, & vnus ex vtrisq; Christus est.* Cyrill. Alexandr. lib. 4. in Ioan. c. 15. *Totus est in cælo Christus, & totus in corde tuo post communionem.* Aug. relatus de consecr. dist. 2.

IX. Chri-

IX. Chriſtus totus in quauis parte Sacramentali.

Totum corpus & ſanguinem ſuſcipit, etiamſi myſteriorum partem accipiat. Nam ſicut vnum ſigillum diuerſis ſuam figuram impartitur, & integrum manet poſt diſtributionem; & ſicut vna vox penetrat ad multorum auditum: ſic nullum dubium ſit corpus & ſanguinem Domini, in omnibus reperiri. Auctor. quidam Græcus apud S. Thomam in catena Luc. 22. *Imò ſinguli totum accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt; nec per ſingulos minuetur, ſed integrum ſe in ſingulis præbet.* Aug. relatus de conſecr. d. 2 *Quia corpus Chriſti tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto: quod cùm Eccleſia fidelium ſumit; ſicut plenum eſt in vniuerſis, ita integrum in ſingulis.* Eucherius Lugdun. hom. 5. Paſch. *Quare ſi quis negauerit ſub ſingulis cuiuſq; ſpeciei partibus, ſeparatione factâ, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.* Trid. ſeſſ. can. 3.

X. Chriſtus eſt in Euchariſtia ante vſum.

Alios etiam eſſe audio, qui myſticam benedictionem, nihil ad ſanctificationem proficere dicant, ſi ex ea aliquid reliquum fiat in ſequentem diem. Inſaniunt verò, qui hæc aſſerunt, neq; enim alteratur Chriſtus, neq; Sanctum eius corpus immutatur. Cyrill. Alexandr. contra Anthropomorphitas.

XI. Totum Euchariſticum eſt adorandum.

Sicut in Perſona Chriſti Humanitas videbatur & latebat Diuinitas, ita Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſeſe infundit eſſentia, vt eſſet religioni ad Sacramenta deuotio & ad veritatē, cuius Sacramenta ſunt, ſincerior pateret acceſſus. Cypr. ſerm. de cœna Domini. *Vt coleretur per myſteriū, quod ſemel offerebatur in pretium.* Euſeb. Emiſſ. hom. 5. de Paſchate. *Omnis fidelis rectè adorans hoſtiā conſecratam, adorat ſub ea conditione* (tacitâ ſcilicet, quia per ſe loquendo ad adorandum non oportet, vt fidelis hanc conditionem adhibeat in actuali cogitatione) *ſi perfecta ſunt circa ipſam ea, quæ ad conſecrationem ſunt neceſſaria ſecundùm diuinam inſtitutionem, & ſic nunquam decipitur, nec errat.* S. Bonau. in 3 diſtin. 24. art. 1. qu. 1. ad vltimum.

XII. Frequentanda Euchariſtia ſed cum diſpoſitione.

Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamē dominicis diebus ſuadeo, & hortor, ſi tamē ſine voluntate peccādi ſit. Aug. l. de Eccl. dogm. *Sed ſi quotidianus eſt panis, cur poſt annū illum ſumis? Accipe quotidie quod quotidie tibi proſit; ſic viue vt quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, nec meretur poſt annū accipere.* Ambr. lib. 5. de Sacr. c. 4. *Sicut corporalis cibus, cum ventrem inuenerit aduerſis humoribus occupatum, ampliùs lædit, magis nocet, & nullum præſtat auxilium, ita & iſte ſpiritualis cibus, ſi aliquem reperit mali-*

gnitate pollutum, magis eum perdet, non suâ naturâ, sed accipientis vitio. Chrysost. homil. 5. super Matth,

XIII. Christus non præcepit vsum vtriusq; speciei.

Quando *Ioan.* 6 dicitur, *nisi manducaueritis, & nisi biberitis*, sumptio Sacramentalis non modus præcipitur, quia quamuis sub specie panis non bibatur propriè sanguis, vt dixit *Innocent. lib.* 4. *de hoc myster.* c. 21. quoniam tamen reuera Sacramentaliter sumitur, ideò eminẽter (vt sic dicã cũ Suar.) bibitur, & vel sufficit ad salutem. *Vel certè* præceptum Christi, speciem quidem præfert locutionis copulatiuæ, vim tamen locutionis disiunctiuæ habet : atqui sicut *Exod.* 15. *&* 21. dicitur, *qui occiderit Patrem vel matrem, morietur* ; ita & Christi præceptum reuocatur ad sensum propositionis de disiuncto extremo; tanquam dicatur ; *si neque manducaueritis neq; biberitis, non habebitis vitam ; qui autem vel manducauerit vel biberit ; viuet.* Nam *qui dixit nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis, dixit quoq; si quis ex hoc pane viuet in æternum Et qui dixit, qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ; dixit etiam ; panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, & demq; qui dixit; qui manducat meam carnem & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in illo ; dixit nihilominus qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Trid. sess. 21. cap. 1. Illis verò dictum, *bibite ex hoc omnes & manducate*, qui quoque *biberunt omnes & manducauerunt.* Imò & ipse Christus in Emmaus dedit solum Sacramentum panis teste Augustino ibid.

XIV. Ecclesia aliquando vtramq; , aliquando vnam speciem præcipit.

Non præcepit Christus quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset vt post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset Aug. ep. ad Ianuar. 118. c. 6. *Non debet ergo reprehensibile judicare, si secundùm varietatem temporum statuta quandoq; mutentur humana præsertim cùm vrgens necessitas vel euidens vtilitas id exposcit, quoniã ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutauit in nouo.* Innoc. III. c. non debet Extr. de consang. & affin.

XV. De Sacrificio.

Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij est signum. Aug. lib. 5. de ciuit. c. 5. *Intelligendum verò est, quàm sit res antiqua sacrificium, quod nonnisi vni vero Deo offerri debere, veraces ac sacræ literæ monent.* Aug. ep. 49 q. 3. *Et licet ab homine offertur, res tamen diuina est.* Aug. contra aduersariũ legis & Prophetarum c. 18. Et lib. 8. de ciuit. cap. 28. & lib. 10. c. 5. *Qui ergo sacrificia tollunt, hoc tentant*

Dæmone

Dæmone ſuggerente, vt gens illa quæ pluribus eſt à Deo cumulata beneficijs minùs grata illi ſit, majoremq́; cultum & honorem illi exhibeat. Petrus Cluniacenſis ep. contra Petrobruſſ. *Ceſsârunt verò ſacrificia animalium, quia iam venit victima pretioſa pro toto genere humano oblata, qui eſt Chriſtus, qui inſtituit, vt per commemorationem ſuæ paſſionis ſacrificaremus Deo.* Euſeb. l. 1. de demonſtr. c. vltimo. *Et quidem ipſe Chriſtus, qui omnia pro Dominica poteſtate & authoritate adminiſtrat, non expectat Pilati judicium, ſed per ineffabiliem & arcanum ſacrificij modum ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat impetum violentum, ac ſeſe in oblationem & victimam offert pro nobis Sacerdos ſimul & agnus Dei.* Greg. Nyſſ. hom. 1. de reſurrect. *Sed & nos nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert.* Irenæus lib. 4. contra Hær. c. 32. 34. *Vnde Chriſtum hic verè immolari* dixit Aug. lib. 10. de ciuit. c. 20. *& lib. 17. c. 17. & 20 & epiſt 23. Et quidem Malachias prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum iam cernimus propagatam, judæis apertiſsimè dixit ex perſona Dei; in omni loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda. Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech, in omni loco ab oriente vſque ad occaſum videmus offerri.* Aug. lib. 18. de ciuit. c. 35.

§ *IV. De Pœnitentia.*

I. Datur Specialis virtus Pœnitentiæ.

Pœnitentia eſt bonorum & humilium fidelium quotidiana pœna, in qua pectora tundimus dicentes; dimitte nobis debita noſtra. Aug. ep. 108. ad Seleucianum. *Pœnitentiam quippe agere, eſt & perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare.* Ambr. Greg &c. *Et quidem pœnitentia eſt res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum.* Auctor. Hypognoſticon lib. 3.

II. Pœnitenita eſt virtus ſupernaturalis.

Si quis dixerit ſine præueniente Spiritûs S. inſpiratione, atq́; eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6, c. 6. & can. 3. *Pœnitentiã ex Dei inſpiratione credimus conceptam dicente Apoſtolo,* 2 Tim. 2. *Nequando Deus det illis pœnitentiam.* Leo ep. 91. *Niſi enim ipſe dederit, quis aget pœnitentiam.* Aug. lib. 5. conta Iulian. c. 3.

III Pœnitentia incipit à ſeruili timore.

Cùm Deus mentem ingreditur, conſtat procul dubio, quòd mox Pœnitentiæ gemitus ſequatur, vt ei iam ſalubriter flere libeat, qui prius in iniquitatibus flenda iucunditate gaudebat. Greg. in moral. *Quatuor verè ſunt qualitates, quibus iuſti*

viri anima in compunctione vehementer afficitur, cùm aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit; aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens, considerat ubi erit; aut cùm mala vitæ præsentis attendens solerter, mærens considerat ubi est; aut cùm bona supernæ Patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est. Greg. 23. in moral. *Et qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postea cùm consumpta fuerit formido, flere incipit, quia differtur à regno.* Greg lib. 3. dialog.

IV. Varij sunt actus Pœnitentiæ.

Ad pænitentiam agendam non sufficit mores immutare in melius, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciat per Pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus Eleemosynis. Sicut verò Pænitentiæ comes dolor est, ita lacrymæ sunt testes doloris. Et certe sciat se culpabiliter durum, qui deflet mortem amici, vel damna rei temporalis, & dolorem peccati non ostendit in lacrymis. Non est ergo vt quis se excuset, se non habere fontem lacrymarum, qui lacrymis ostendit dolorem temporalium. Aug. lib. de Pænit.

V. Pœnitentiæ formaliter & completè sumpta consistit in detestatione & dolore.

Quando sic pænites, vt tibi amarum sapiat in anima, quòd ante dulce fuit in vita; & quod te priùs oblectabas in corpore, ipsum te cruciat in corde, iam tunc bene in gemiscis ad Deum. Ambr. in quodam serm. *Qui verò mala, quæ perpetrauit, insinuat, sed flere, quæ insinuarat, recusat; quasi subiectâ veste vulnus detegit, sed torpente mente medicamenta vulneri non apponit.* Gregor. in moral. *Adeoque non dolere, quia peccaueras, magis indignari atq; irasci facit Deum, quam illud peccatum, quod antè perpetraueras.* Chrysost. in Matt.

VI. Contritio est actus imperatus Pœnitentiæ.

Optimum vnguentum est contritio, quod ex recordatione peccatorum conficitur. Bern. serm. 12. in cant. *Qui enim se conterit, irascitur sibi, se habet iratum, vt Deum habeat propitium.* Aug. in Psal. 146. *Contritio porrò est animi dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Trid. sess. 14. c. 4.

VII. Contritio est ex motiuo amoris Dei super omnia ac proinde contritio est virtualiter amor.

Sine charitate quomodo quis veram cordis contritionem habere poterit, quomodo ergo delictorū remissionē. Aug l. de Pænit. *Pænitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Aug. serm. 7. de tempore. *Sine amore, nemo vnquam gratiam inuenit, nec veniam assecutus est.* Aug. l. de ver. & fals. Pænit. c. 9. & 17.

Si pro

Si pro vno scelere omnia sua distribuant indigentibus nisi desistant à peccatis, habendo chari tatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodesse potest Aug l. de Ciuit. Dei c. vlt. & l. 21. c. 27. *Charitas si absit, cætera frustra fiunt.* Aug. l. 2. contra Grescon. cap. 12.

VIII. Contritio debet esse vniuersalis de omnibus peccatis.

Pænitentia appellata est quasi punientia, eo quod ipse homo in se pænitendo punit, quod male admisit. Tria enim quæ sunt in percussione pectoris, id est pectus, sonus, & manus, significant, quod Pænitentia est de his, quæ mente, voce, & opere peccauimus. Hugo. l. 3. de Myster. Eccl. *Profer ergo in medium conscientiã tuã, & reminiscere peccata tua, siquid in verbo seu in facto, vel in cogitatione peccâsti.* Chrysost. hom. 2. in Psal. 50. Sic & Dauid quando Psal. 76. dicebat *cogitaui dies antiquos, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercebam & scopebam Spiritum meum, seipsum interrogabat, seipsum examinabat, in se iudex erat.* ait Aug. *Porro quàm magna deliquimus tàm granditer defleamus, pænitentia crimine minor non sit.* Cypr. tract. de lapsis. *Fortius est dolendum quia fortius est peccatum.* Ambr. ad Virg. lapsam c. 18.

IX. Contritio detestatur peccatum super omnia mala pænæ.

Mallem à peccato purus infernum intrare, quam peccati sorde pollutus cælorum regna tenere. Anselm. l. de similit cap. 10. *Qui pænitentiam agit, paratus debet esse ad opprobria perferenda, iniuriasq́, subeundas, nec commoueri si quis ei peccati sui crimen obijciat.* Ambr lib de Ioseph. c. 36

X. Contritio non habet definitam intensionem & durationem.

Necessaria est pænitentia quæ aut æquet crimina aut excedat Hieron. in ep. ad Susan. *Et quidem vniuscuiusq; conuenitur conscientia, vt tantò maiora quærat lucra per pænitentiam quantò grauiora damna intulit per culpam* Gregor in Mat. 3. *Attamen Deus quantulamcunq; & quamlibet breui tempore gestam pænitentiam non respuit, nec patitur etiam exiguæ pænitentiæ amitti mercedem.* Chrysost. ep. 5 *Vera contritio mente potius quàm tempore metienda est dicente Propheta: Si conuersus fueris, saluus eris* Cælest. Papa ad Episcopos Gallicanos ex August. & Hieron. Test. ll. *Quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris, non abstinentia tam ciborum quàm mortificatio vitiorum, propter quod tempora pænitentiæ pro fide & conuersatione pænitentium abbreuienda præcipiuntur, & pro negligentia protelenda existimantur, cùm pro quibusdam culpis modi pænitentiæ sint impositi.* Hieron. in quodam serm.

XI. Pænitentia seria agenda.

Sola compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. Sicut impossibile est, vt ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compunctionem cordis vigere in delicijs & voluptate. Contraria enim hæc sibi sunt inuicem & peremptoria; Illa enim mater fletûs hæc mater est risûs. Illa cor constringit; ista dissoluit. Chrysost. lib. de compunctione cordis. *Quisquis ergo Verbum confessionis in ore habet, & in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus.* Bern. de noua milit.

XII. Pœnitentiæ iungendum propositum emendationis.

Quando peccatores assiduò fatentur se peccâsse, nec tamen desinunt peccare, professio est peccati potius quàm emendatio, & accusatur tunc anima, non sanatur, pronuntiatur offensa, non tollitur. Aug. serm. 7. de temp. *Imò qui pectus suum tundit, & non se corrigit, peccata solidat, non tollit.* Aug. lib. 5. de lib. arb. *Ac penitus inanis est pænitentia, quàm sequens culpa coinquinat: nil prosunt lamenta, si multiplicentur peccata, nihil valet à malis veniam poscere, & mala de nouo iterare.* Aug. in Soliloq.

XIII. Iustificatio adulti non fit sine Pœnitentis motu.

Nisi egeris pænitentiam saluus esse non poteris, quomodo gaudebis correctum, nisi doleas fuisse peruersum. Aug. ep. 50. circa finē. *Vt accedas & illumineris, displiceant tibi tenebræ, damna quod es, vt merearis esse quod non es: es iniquus, debes esse iustus; nunquam iustitiam percepturus, si adhuc tibi placeat iniquitas.* Aug. in Psal. 33. *Non sit ante oculos tuos delectatio præteriti, sed sit ante oculos tuos damnatio præteriti peccati: damnatio à te, remissio à Deo.* Idem in Psal. 102. *Ergo anima decora esse non potest, nisi confessa fuerit fæditatem ei, qui semper pulcher est.* Idem in Psal. 103.

XIV. Deficiente Pœnitentia adulti formali, necessaria est & sufficit virtualis in voto.

Nemo se amari diffidat, si iam amat, neque enim redamare pigebit eum, qui nos amauit necdum amantes. Bern. ep. 170. *Mundantur ipsâ, quæ omnibus supereminet charitate, quæ si adsit omnia rectè fiunt, si verò absit, omnia frustra fiunt.* Aug. lib. 2. contra Cresc. c. 12. *Sicut ignis vbi syluas occupauerit, omnia purgare consueuit, ita charitatis feruor quocunq; inciderit; omnia perimit.* Chrysost. hom. 7. in 2. Timoth. *Charitas diuidit inter filios Dei, & filios perditionis.* Ex Aug. lib. 14. de ciuit: c. vlt.

XV. Remissio peccati potest fieri variè.

Imò sine vllo actu peccatoris. *Peccata eousq; durant, quamdiu prauæ actiones durant:*

nes durant ; ſublatis enim his (per infuſionem doni extrinſeci ac per extrinſecum Dei fauorem quo non poſito ſtaret gratia cum peccato) *vna etiam peccati ſubſtantia deletur & euaneſcit, licet peccantibus pœna propter peccatum ſit repoſita.* Baſil. in conſtit. Monaſt. c. 5. 2*dò* ſine vlla peccatoris mutatione. *Plus præſumo de Dei miſericordia, quàm de mea iuſtitia.* Ex Aug. Ambr. &c.

XVI. Nullum peccatum eſt irremiſſibile.

Magna eſt contra peccatum virtus Pœnitentiæ. Greg. lib. 9. regeſtro ep. 39. *Non eſt aliquod omninò peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti.* Chryſoſt. homil. 23. in Matth. *Quis in ſæculo peccauit enormius Paulo? quis in religione grauius Petro? illi tamen per Pœnitentiam meruerunt aſſequi non ſolum miniſterium, ſed & magiſterium ſanctitatis. Memores igitur eſtote miſericordiæ quàm filio prodigo reuertenti Pater euangelicus legitur impendiſſe.* Chryſolog. Quiſquis *delinquit & viuit, idcircò hunc diuina diſpenſatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compeſcat.* Greg. lib 17. moral. c. 4.

XVII Contritio infallibiliter ante vſumSacramẽti delet pec.

Cùm ingemueris, ſaluus eris. LXX. in Iſaiæ 30. 15. *Miſericordiæ ſcilicet Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conuerſio, dicente ſic Spiritu per prophetam, cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.* Leo ep. 91. *Crede ergo illi, qui dixit, quacunq; hora peccator ingemuerit & conuerſus fuerit, vitâ viuet.* Aug. lib. de pœnit. cap. 17.

XVIII. Contritio perfecta tollit peccata.

Quia Imò mortalia omnia ſimul tollit. *Sunt quidem plures, quos pænitet peccâſſe, ſed non omninò, reſeruantes ſibi quædam, in quibus delectentur: non animaduertentes Dominum ſimul, & mutum & ſurdum à Dæmonio liberâſſe, per hoc docens nos, nunquam niſi de omnibus ſanari* Aug. lib. de Pæn. c. 6. 2dò totam culpam tollit. *Quædam enim impietas infidelitatis eſt, ab illo qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam.* Aug. ibid. 3*tiò* reatum pænæ æternæ tollit. *Nihil eſt damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto IESV.* Rom. 2. 4*tò* peccata non tegit, ſed delet. *Quemadmodum in corpore vulnera & medicinæ, ſic in anima peccatum & pænitentia, in vulnere ſanies, in medicina purgatio ſaniei.* Chryſoſt. de Pœn. ſerm. 3. *Pœnitentia eſt medicamentum vulneris.* Iſid. de ſummo bono lib. 3. 5*tò* merita viuificat. *Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, & mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, gratiam conſeruat, claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat.* Aug. lib. de Pœn. *Qui per pœnitentiam peccata diluit, Angelicæ felicitatis conſors in æternum erit.* Aug. lib. c. 10. mirac. S. Script.

XIX Pœnitentia lapsis est necessaria.

In tribunal mentis tuæ ascende contra te, & reum te constitue ante te: noli te ponere post te, nè Deus ponat te ante se. Aug. l. de vtil: pœn. *Nam non dolere, quia peccaueris magis indignari, atque irasci facit Deum, quàm illud peccatum, quod ante perpetraueras.* Chrysost. in Matth. *Et quidem quid restat nobis nisi dolere in via? vbi enim dolor finitur deficit Pœnitentia.* Aug. l: de ver. & fals pœn. c. 13. *Deus tegat vulnera tua, non tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat & curet, emplastro enim tegit; sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus,* Aug. in Ps: 31.

XX. Semper accepta non tamen differenda Pœnit.

In isto mundo manenti nulla sera pœnitentia est Cypr. ad Demetr.. *Sed & in eodem articulo temporis, cùm iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei, benignitas Dei non aspernatur. Nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, si vera contritio, si pura fuerit voluntatum mutatio, excludit à venia.* Cypr. serm. de cœna Domini. *Nunquam Deus spernit pœnitentiam: latro ille, qui pendebat in cruce non eguit prolixitate temporis, vt ingressum paradisi mereretur &c.* Chrysost. l. de reparat. laps. ep. 1. ad Theodor. Attamen *pœnitentia sera, raro vera.* Aug. *Si enim vis agere Pœnitentiam, dum peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Aug. ser. 36.

XXI. Datur Sacramentalis Pœnit: remissiua pecc.

Eadem est causa Baptismi & Reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines, credunt se non debere exire de corpore Aug. ep. 108. d Honoratum. *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nimirum contritio, confessio, & satisfactio.* Trid. sess. 14. c. 3. Priores actus essentialiter, satisfactio integraliter componens Sacramentum. *Quid verò Petro potentius, qui claues cœli tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cæli.* Bern. serm. 1. de SS. Petr. & Paulo. *Vnde Sacerdotes habentes clauem, ante diem judicij judicant.* Hier. ep. 1. *Nostris enim Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus est concessum.* Chrysost. lib. 3. de Sacerd. c. 4. *Vult Christus plurimum posse discipulos suos, vult à seruis suis nomine suo ea fieri, quæ ipse faciebat in terris.* Ambr. lib. 1. de pœn. c. 7. Dabile tamen est Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

XXII. Sacramentum Pœnit: est distinctū à Sacr: Baptismi.

Si paruulus baptizatus grandior factus, propria inceperit habere peccata, per quæ gratiam amittat, non regeneratione sed alia curatione sanari potest. Aug. ep. 23. *Non*

sanari per baptismum sed per veram conuersionem. Aug. lib. 5. de bapt. c. 22. *Similiter si à Catechumeno factum est homicidium, baptismate abluitur, si à baptizato, pœnitentiâ & reconciliatione sanatur.* Aug lib. 2. de adulterinis coniugijs. c. 16.

XXIII. Externa peccatorum confessio necessaria.

Nemo sibi dicat occultè ago, apud Deum ago Pænitentiam. Ergo sine causa dictum est; quæ solueritis in terra, erunt soluta & in cælo? ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei frustramus, frustramus verba Christi, promittimus quod ille negat. Aug. lib. 50. hom. in 49. *Et quidem etiam cogitationes malæ apud Dei Sacerdotes dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus aperiunt, salutarem medelam exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non irridetur.* Cypr. lib. de lapsis c. 11. *Nam sicut ij, qui habent occultam escam indigestam si euomuerint, eleuantur; ita qui peccauerunt, si occultant, & retinent intrinsecùs peccatum suffocantur humore peccati; si autem ipse fiat accusator sui dum confitetur, omnem morbi digerit causam.* Origen: homil. 2. in Psal. 37.

XXIV. Sacerdos est huius Sacramenti Minister.

Tibi dabo claues, Petro principaliter dicitur, cæteris tamen Apostolis etiam dictum esse intelligi debet, & Episcopis & Sacerdotibus, istis enim & clauis & potestas à Deo data est, vt non solùm Ecclesiam, sed etiam cælos aperiant. Euseb. Emiss. hom. in natal. S. Petri. Cæterùm *hanc potestatem Deus, neque Angelis, neque Archangelis, datam esse voluit; neq; enim ad illos dictum est, quæcunq; alligaueritis in terra &c.* Chrysost. lib. 3. de Sacer.

XXV. Satisfactio necessaria.

Veritatem dilexisti, id est impunita peccata eorũ etiam, quibus ignoscis, non dimisisti: sic prorogâsti misericordiam, vt seruares veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti sic seruatur misericordia & veritas. Aug. in Ps: 50. *Procul dubio Dominus delictum sine vltione non deserit: aut enim ipse hoc modo in se pænitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Greg. lib. 9. moral. c. 27. *Implora misericordiam, sed attende justitiam: misericordia est, vt ignoscat peccato, justitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam? peccatum impunitum remanebit, respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid, vt misericordiam mereantur, sicut Dauid & dicant, non Domine, non erit impunitum peccatum meum, non impunitum erit, sed ideo nolo vt tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Aug. in Psal. 50. *A nobis ergo vltionem sumimus, ita placabimus judicem* Chrysost hom. 41. ad post Antioch. sed potissimum, *afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cùm Sacerdotis judicio fuerit imperata, cum ab eo confiten-*

fitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionibus. Greg. lib. 3. in 1. Reg. 7.

§. *V. De reliquis Sacramentis.*

I. Alia etiam Sacramenta sunt instituta.

1mò. De extrema vnctione. *Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus ac sanguinem Christi ille, qui ægrotat accipiat, ac deinde corpusculum suum vngat; vt illud quod scriptum est, impleatur in eo, infirmatur aliquis, inducat presbyteros, vt orent super eum, vngentes eum oleo.* Aug serm. 215. de temp. *Porrò hoc Sacramentum nonnisi infirmis, de quorum morte timetur, dari debet.* Conc. Flor. 2dò. De ordine. *Vtrumq; Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumq; homini datur: illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideoque in Ecclesia Catholica vtrumq; non licet iterare.* Aug. l. 2. contr. ep. Parm. c. 13. 3tiò De Matrimonio: *Propter hoc in illo* (coniugio Iosephi & Mariæ Virginis) *omnia tria bona nuptiarum dixi esse completa fidem, quia nullum adulterium; prolem ipsum Christum Dominum, Sacramentum, quia nullum diuortium.* Aug. lib. 5. contra Iulian, c. 9.

II. Sacramenta cum dispositione accipienda.

Spiritus S. non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualis nascitur, ac si sol super omnes pari & æquali luce diffunditur; quantò magis Christus sol & dies verus, in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate elargitur. Cypr. lib. 4. ep. 7. aliàs 76. circa finem. Attamen *sicut si canibus dederis sanctum, aut porcis margaritas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos: sed è contra canes coinquinant sanctum, & porci margaritas fordidant vel confringunt: sic si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus, sanctum dederis, aut mysteria sacra tradideris; nec sanctum illis sanctificat, nec mysteria veritatis illos illuminant, sed è contra ipsi sanctum coinquinant, & mysteria veritatis blasphemant.* Chrysost. in c. 17. Matth. hom. 17. *Non possunt esse spiritus participes, quorum infidelitas* vel *indignitas tantæ sanctitudini contradicit; ideòq; alijs hæc sunt munera odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem, quia omninò iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis gratiæ tanta puritas sibi faciat mansionem.* Cypr. serm. de Cœna Domini.

Ad M. D. G.

onibus. Greg.

erit, corpus ac
ungat; vt illud
teros, vt orent;
Sacramentum
dò. De ordi-
i datur: illud
umq; non licet
Propter hoc in
rum dixi esse
inum, Sacra-

ditur, Nam
e diffunditur;
tæ pari æqua-
n sicut si cani-
nec margaritæ
rgaritas fordi-
ibus, sanctum
mysteria veri-
veritatis blas-
ritus partici-
deoq; alijs hæc
nò iustum est,
tanta puritas

